

**Disputatio medica inauguralis, de typho ... / Eruditorum examini subjicit  
Rogerus Parkinson.**

**Contributors**

Parkinson, Roger, M.D.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1800.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fysfvm7v>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DE SYNANICHE 24  
dum est. Si hæmorrhogæ hæc fuerint omnia  
hæmorrhogæ, ex quibus hæc hæc hæc hæc  
facta hæc hæc hæc hæc hæc hæc hæc hæc  
no. hæc hæc hæc hæc hæc hæc hæc hæc hæc  

---

---

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

T Y P H O.  

---

---

DISPUTATIO MEDICA  
IN AUGURALIS

T. Y. P. H. O.

D. GEORGI BAIRD, S.S.T.P.

GRADU DOCTORIS

ROGERUS PARKINSON

Ab die 24 Junii hora locoque solita.

EDINBURGI

EXCUDERANT ADAMUS NEILL ET SOCIJ

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

DE

T Y P H O;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROGERUS PARKINSON,

ANGLO-BRITANNUS,

REG. SOCIET. PHYSIC. EDIN.

SOC. HON.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

---

“ ———— *Quis talia fando*

“ MYRMIDONUM, DOLOPUMVE, aut duri miles ULIXEI,

“ *Temperet à lacrymis!*”

VIRG. ÆNEID.

---

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCIJ.

=====  
M DCCC.

DISPUTATIO MEDICA  
IN ALCHEMIA  
REVERENDO VIRO

JOANNI THRELLALLI

KLASSIKER



Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

HANC DISPUTATIONEM

D. D. D. D.

ROGERUS PARRISON

REVERENDO VIRO,  
JOANNI THRELFALL,

KIRKHAMLÆ

IN

PRÆFECTURA LANCASTRIENSI,

VITAM SANCTAM ET IMITANDAM AGENTI;

QUI

EUM

GRÆCIS LATINISQUE LITERIS

GNAVITER FIDELITERQUE

INSTITUIT;

GRATO ANIMO

ET

SUMMA OBSERVANTIA

HANC DISPUTATIONEM

D. D. DQUE

ROGERUS PARKINSON.

ALL RIGHTS RESERVED

JOHANNI THRIFFALL  
DANIEL RUTHERFORD

ANNOE LXXXVIII

THOMAS CAROLUS HOPE

JACOBO WOLFE  
IN SECTURA LANCASTERIENSIS

LEBBERKIMIS

VITAM DANICAM ET INDIANAM AGENTIS

IN ACADEMIA KUNIGERIANA

PROFESSORIS

EX  
F. U. M.

GRATIIS IN BIBLIOTHECA PUBLICA

GRAVILLI OXONIENSIS

ARTIS ANTIQVARIARI

DIDICIT

GRATO ANIMO

PERSEQUI

GRATI ANIMO ET OBSERVANTE

FRANCISCO

GRATI OBSERVANTE

MANDAT

ROGERUS PARRISON  
ROGERUS PARRISON

ALEXANDRO MONRO,  
JACOBO GREGORY,  
DANIELI RUTHERFORD,  
ANRDEÆ DUNCAN,  
THOMÆ CAROLO HOPE,  
JACOBO HOME,

CELEBERRIMIS  
MEDICINÆ  
IN ACADEMIA EDINBURGENA  
PROFESSORIBUS ;

EX

QUORUM

PRÆLECTIONIBUS  
ARTEM APOLLINAREM

DIDICIT,

PEREXIGUUM  
GRATI ANIMI ET OBSERVANTIÆ  
TESTIMONIUM

SCRIPTIS

MANDAT

ROGERUS PARKINSON.



ALVARO MONRO

JACOBO GREGORY

DISPUTATIO MEDICA

JACOBUS DUNCAN

PHYSICUS

JACOBO HOMI

PROFESSORI

DE

PHYSICA

TYPUS H. O.

PROEMII

PROEMII

**M**ORBORUM, quibus opportuni sunt  
 metates, dicitur, me iudice, si quis  
 res sunt, in quos medici animos intendunt  
 quam spem. Quippe non frequens solus  
 morbus est, sed etiam omni parte  
 tenet, et ordinem inferens

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

T Y P H O.

---

PROOEMIUM.

§ I. **M**ORBORUM, quibus opportuni sunt mortales, pauci, me iudice, digniores sunt, in quos medici animos intendant, quàm *typhus*. Quippe non frequens solùm morbus est, sed etiam omni pariter ætati, sexui, et ordini infestus.

II. His animo volutis, mecum statui ejus naturam, causas et curationem, pro facultatibus investigare; et, etiamsi nil novi, de re tanta, proferam, cognita tamen, ut quæque utilia et memoratu digna videntur, quàm poterò luculentissimè dicam.

## D E

## DEFINITIONE.

III. *Typhus* à CULLENO definitur, “ morbus  
“ contagiosus ; calor parùm auctus ; pulsus  
“ parvus, debilis, plerumque frequens ; urina  
“ parùm mutata ; sensorii functiones pluri-  
“ mùm turbatæ ; vires multùm imminu-  
“ tæ (A).”

IV. *Typhus*, ait idem auctor, videtur esse  
genus, quo complures species comprehendun-  
tur. Quæ verò species communi genere con-  
tineantur, nondum ex observatione clarè con-  
stat.

---

(A) Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. II.  
gen. v.

stat. Interea, uti videmus, febres hujus generis, quæ inter se dissimillimæ sunt, differentiâ tamen, quanta qualisque species distinguit, neutiquam dignoscuntur ; sed sunt varietates tantùm, quas causa excitans plùs minùs valens, vicissitudines cœli tempestatumve, vel diversæ ægri corporis proprietates, efficiunt.

(B).

---

(B) Vid. CULLEN. *First Lines*.

DE

## SIGNIS.

v. Quanto pòst tempore, quàm tabum, quod *typhum* excitat, admotum corpori sit, incipiat adversa valetudo, prorsùs hæctenus incertum est. Quòd si tabum pestilentissimum sit, et corpus, quod impleverit, aptum utcunque sit quod præsens ab accepto detrimentum capiat, signa haud dubia febris sese protinùs manifestent.

vi. Plerumque verò, paucos post dies, quàm tabes corpus penetraverit, hoc percurrunt frigus, deinde horror vicissimque calor. Eodem ferè tempore, ægrotans languescit; moveri piget; simulque, quasi defatigatus, lassitudine afficitur.

afficitur. Dolent simul dorsum, lumbi, et membra.

VII. Hoc circiter tempore, æger premitur gravedine et vertigine ; etiamque dolore capitis affligitur, qui occipiti plerumque inhæret, at nonnunquam vertici, cursu quo tendit *sutura coronalis*. Ferè intolerabilis subinde dolor alterutrisque insidet temporibus, vel super alterutrisque superciliis, vel in imis haud rarò orbitis oculorum. Brachia nonnunquam torpor occupat.

VIII. Animus, tristis semper et demissus, futurorum sæpe atque impendentium malorum timore torquetur ; neque profectò rarò, appetente nocte, plùs minùs labat.

IX. Stomachus non solùm languet, sed etiam omnes cibos firmiores, maximè carnes, fastidit. Haud rarò nauseat ; imò etiam humorem suprà reddit, qui plerumque pituitosus est, interdum verò felleus.

x. Ar-

x. Arteriarum simul ictus solito crebriores sunt. Lingua albida est; tamen nulla ferè sitis urget, necdum summâ cutis multùm incalescit.

xi. Manè omnia signa aliquantùm remittunt, sed, simul ut advesperascit, multùm ingravescunt. Noctu æger insomniâ premitur; vel, siquando gratus obrepat somnus, brevi plerumque tumultuosis somniis excitatur, haud rarò terribilibus visu formis pectus cunctosque artus tremefactus. Turbati somni, quibus raptim fruitur, neque vires reficiunt, neque mala morbi mitigant.

xii. Æger his malis, complures haud rarò dies, priùs urgetur, quàm adeò malè se habet, ut lecto continenter affigatur. Interea autem ad solita munera prorsùs invalidus est.

xiii. Sed, quinto ferè die sextovè, aliàs maturiùs, aliàs seriùs, omnia mala, quæ narravimus, multùm exasperantur. Nunc, de magna debilitate, æger conqueritur. Artubus intremiscit,



tremiscit, neque propriis pedibus stare potest. Vehementiùs inhorrescit; et majore vertigine, capitisque dolore et gravedine, affligitur. Aures perpetuò intra se ipsæ sonant; atque earum sonitus ægro non solùm molestissimus est, sed etiam haud rarò affert delirium. Dorsum, lumbi, membraque majora, vehementiùs dolent. Graviùs simul urgent redundatio stomachi, et vomitus.

xiv. Facies plerumque pallet, at interdum rubet. Aliàs genæ calescunt subitò, et rubore suffunduntur; dum orbiculus nasi, et lobi aurium, frigescunt, simulque frons frigidò manat sudore. Imò haud insolitum est, faciem calescere, et rubore suffundi, ubi extremæ partes membrorum inalgescunt.

xv. Oculi hebetes et languidi sunt; atque sordida pituita eorum angulis et marginibus inhærescit. *Tunica adnata* suffuso subinde sanguine rubescit. Haud rarò etiam, hoc tempore,

tempore, lumen vel obscurissimum refugiunt, et illachrymant.

xvi. Arteriarum ictus ferè crebri sunt, imbecilli, tum vi tum temporibus inæquales. Aded interdum frequentes sunt, ut, in carpo, modò centum, modò centum et triginta, imò etiam modò centum et quinquaginta, sexagesimâ quaque horæ parte, numerentur. Aliquando tremuli sunt: nonnunquam languidi, imò intermittentes; neque multò pòst, facie subitò erubescente, fiunt citatissimi, et, brevi forsan pòst, denuo tardiores et æquales. In temporibus intentæ admodum arteriæ moventur, atque *carotides* sæpe vehementer et creberrimè agitantur; dum arteriæ carpi imbecilliter micant et languidè: quod, uti HUXHAMO videtur, delirium impendere prænunciat.

xvii. Spiritus difficilis et laboriosus est; simulque æger trahit frequenter ex pectore suspiria, frequentibusque trepidat singultibus, necnon præcordiorum gravitate premitur.

xviii. Per totum morbum, spiritus fervidus est. Provectiore verò morbo, foetidus fit; atque dentium radicibus crusta haud rarò nigra obducta conspicitur.

xix. Morbi initio, lingua plerumque mollis est, humida, et albido muco illita. Morbo verò progrediente, fit arida, hiulca, et lineis fuscis interstincta; vel, media ex parte, subfusca est, ex marginibus, colore naturalis. Exserta multùm intremiscit. Nonnunquam, per totum ferè morbum, humida est, atque, ex utroque margine, limbo sufflavo subviridive insignis. Haud rarò, colore naturalis, splendet, et quasi polita apparet (c). Aliàs, ubi febris gravissima est, vel finem appropinquat, vel ubi os, et internæ fauces, non subinde gargarizata sunt; sordidissima est, nigra,

---

(c) Vid. CAMPBELL. *Observations on the Typhus*, pag. 59.

nigra, rimosa seu sulcata, dura, et, sicuti piscis cuticula, aspera et rigida: quo fit, ut æger nequeat voces distinctè efferre, quales auditu adstantes comprehendant.

xx. Permodica sæpe sitis est; interdum verò importuna, imò insedabilis. Nonnunquam æger omnigenum potum aversatur, assumptumve rejicit.

xxi. Fauces hæud rarò dedecorant *apht hæ*, quæ magnam ægro molestiam afferunt. Nonnunquam etiam alvum ubique obsident; atque cruentam movent dysenteriam, omniaque mala, quæ huic solent supervenire.

xxii. Alvus plerumque compressa est. Variat autem, pro temperie ægri corporis: namque, si, præ cubiculi calore, hoc calidum est, plerumque astricta alvus est; sin, præ ejusdem frigore, frigidum corpus, alvus soluta. Observatu dignum est, alvum perinde esse per totum morbum, atque initio erat.

XXIII. Dejectiones, quo tempore febris mitescere et declinare incipit, intolerandam ferè odoris fœditatem habent; et colore sunt virides, lividæ aut nigræ, haud rarò cruentæ. Inter desidendum, æger intolerandis cruciatur torminibus. Hoc ferè tempore quoque, abdomen nonnunquam tumet et intenditur.

XXIV. Initio morbi, urina ferè pallida est; sæpe limpida; haud rarò subrubra; interdum vapidæ cerevisiæ similis; in qua nihil subsidit, sed cui innatat materia, quæ furem repræsentat. Sed, morbo provecto, maximè quando ægrum adducit in discrimen, urina est fuscior, interdum ferè prorsùs nigra, aliquando cruenta et fœtidissima. Si, sub finem, febris ad salutem inclinaverit, turbida urina fit, sed nihildum sedimenti deponit.

XXV. Ineunte morbo, cutis sicca est, pallida, et adducta; deinde, præcipuè sub finem, sudore humida, qui fœtidissima est, et non adstantium

adstantium modò, sed ipsius quoque ægri, nares plurimùm offendit.

XXVI. Primâ incursione febris, calor modicus est; illâ verò increscente, hic intenditur, atque manus summæ cuti admota permoles-tum calorem sentit, quem *calorem mordacem* medici nominant, quemque etiam sublata manus aliquantisper percipit.

XXVII. Mens, principio morbi, pigrescit, deinde non constat, tum delirat. Nisi verò temperies cubiculi, supra quàm debet, calida est, aut maxima vis febris urget, mens non, ex toto, alienatur; sed tantùm usque eò turbatur, ut æger aliena nec clarè audita secum mussitet, linguâ hæsitans.

XXVIII. *Typho* impliciti, inquieti sunt, anxii, atque insomnes. Nonnunquam, pro-fectò, somniculosi sunt, et assidentibus som-num capere videntur: ipsi verò, quippe cùm nullius vigiliæ requietis sibi conscii sint, som-num accessisse negant.

XXIX. “ Sometimes,” inquit HUXHAMUS, “ the patients awake from their slumbers in a hurry and confusion, and presently recollect themselves, but forthwith fall into a muttering, dozy state again. Many, from their immoderate fears, seem to hurry themselves out of life, where little danger is apparent at the beginning: Nay, some will not allow themselves to sleep, from a vain fear of dozing quite away; and others, from the vast hurry, anxiety and confusion, they are sensible of, either during sleep, or at their waking.”

XXX. Malis, quæ memoravimus, haud rarò accedunt *petechiæ*. Hæ sunt maculæ, quæ modò rubræ sunt, modò subrubræ, aliàs lividæ, sed nunquam cutem exasperant. Exiguæ sunt, aliquandoque adeò confluentes, ut, brevi intervallo, cutis, perinde ac si unicolor esset, tantummodo solito rubrior appareat.

Dummodo

Dummodo autem propiore intuitu inspiciantur, earum interstitia conspicua sunt.

xxxI. Maculæ plerumque adeò parùm evidentes sunt, ut, nisi curiosè aspiciantur, non observentur. Confertissimæ sunt, in pectus et dorsum; in crura atque brachia, rariores; in faciem, nunquam ferme observabiles. Nonnunquam, quarto aut quinto die, apparent; aliàs, non ante decimum quartum. Nunquam decessum febris indicant; neque certò prænunciant mortem, quamvis signis annumerandæ sint, quæ gravem morbum urgere ostendunt. Quò magis purpurascunt, eò indicant majore periculo ægrum versari.

xxxII. Aliquando maculæ, de quibus dicimus, non ante mortem apparent. Nulla iis constat diurnitas; sed, primùm ut evanescere incipiunt, æger haud rarò infrà transmittit nigra quædam, fœtida, et in quibus interpositus cruor strias repræsentat.

xxxIII.



xxxiii. Interdum, undecimo ferè die, decimove quarto, sudoribus profusis orientibus, quibus dissipantur vires, *petechiæ* evanescent; et succedit magna vis exiguarum albidarumque pustularum, quæ magnitudine semina miliaria simulant, sed nullam afferunt malorum quietem, vel saltem duntaxat minimam.

xxxiv. Nonnunquam, hîc illic summæ cutis, vibicës amplæ, quales virgæ seu verbera faciunt, paulò ante mortem conspiciuntur.

xxxv. Adventante morte, oculi concavi sunt, seu in orbitas recedunt: nasus acutus: oris notæ minuuntur: facies pallida, aspectuque lugubris, atque cadaverosa seu HIPPOCRATICA. Æger manibus in veste floccos legit, fimbriasve diducit. Omnia offendunt. Tenebras oculis offusas videre videtur, atque manibus tentat carpere.

xxxvi.

xxxvi. Nunc omnia in pejus ruunt. Vi-  
res, quæ supersunt, emoriuntur. Animus  
marcet et labat. Oculi hebescent, et illa-  
chrymant; in orbitas recedunt; neque cla-  
rissimam lucem percipiunt. Vox intercidit,  
vel adeò debilis est, ut adstantes exaudire vix  
possint. Nares, haud rarò, gingivæ, intesti-  
na, aliæque corporis partes, sanguinem pro-  
fundunt. Lachrymæ, nullâ causâ evidente,  
genis defluunt. Pallent et livent ungues.  
Defluunt capilli. Stomachus singultat. To-  
tum corpus, sicuti jam mortuum putresceret,  
magnam odoris foeditatem emittit. Præ om-  
nium musculorum debilitate, æger ad pedes  
subinde delabitur.

xxxvii. Partes simul corporis, in quas  
sæpius incumbit æger, gangrænâ haud rarò  
afficiuntur. Arteriæ intremiscunt potiùs,  
quàm micant; cùm earum motus adeò imbe-  
cilles atque celeres sint, ut vix possint distin-  
gui. At interdum tamen arteriæ se, mirum

in modum, tardè movent, imò, haud rarò, motus prorsùs intermittunt.

xxxviii. Aures, quæ, principio morbi, plerumque levissimi sonoris impatientes sunt, nunc fiunt adeò hebetes, ut clarissimum sonitum vix audiant. Extremæ partes membrorum inalgescunt. Intremiscunt manus. Singultant nervi. Demumque, vel omnium simul nervorum distentionibus vita abrumpitur, vel, viribus exhaustis et emortuis, mortifero sopore extinguitur.

xxxix. Morbo, quem persequimur, constat neque vis, neque longinquitas. Rarissimè, ante quintum diem septimumve, finitur. Sæpe protrahitur ad decimum quartum, imò ad vigesimum.—Interdum, at rarissimè, sub finem, in summa cute oriuntur carbunculi, *bubones*, anthracesque, iis similes, quibus pestis corpus deformat.

xl. Quando febris optatò desinit, revalescens aliquandiu, de vertigine, auditûs gravitate,

tate, aurium tinnitu, atque interrupto somno  
 conqueritur. Quinetiam, languidus admo-  
 dum et debilis est; haud rarò, mente imbe-  
 cillus, et fatuus. Simul autem atque vires  
 aliquantulùm reviruerint, omnia hæc mala  
 paulatim evanescent.

D.E

D E

## EXTISPICIIS.

XLI. Quanti sit, morbida, quotquot in patefactis corporibus, quæ luce orbavit *typhus*, oculis obveniant, accuratè scire, satès apparet. His enim cognitis, non solùm luculentio rem signorum rationem reddere possimus; fed etiam certius scire, quibus efficacissimè remediis medicamentisque leventur vel sanentur ea mala, quæ in partibus oriuntur; quæque, licèt sint tantùm signa morbi, tamen, periculosa sunt, atque, ni curentur, obstant, quò minùs hic ad sanitatem perducatur.

XLII. Cerebro patefacto, morbida, quæ inspicientium oculis obveniunt, superquam  
satès

satìs manifestant, quantum detrimentum ab hoc morbo acceperit. In quibusdam enim partibus, uti à PRINGELIO accipimus, vasa, quibus sanguis distribuitur, supra consuetudinem distenta conspiciuntur; in aliis, disrupta. Hìc effusum ex arteriis serum introsipientium oculis se videndum offert; illic, præsertim in sincipite, suppurata seu abscessus.

XLIII. Thorace aperto, pulmonum vasa, quæ sanguinem diffundunt, supra modum turgida apparent. Simul horum viscerum superficies, ex toto, vel ex parte, non modò solito rubrior est, verùm sanguinis quoque cooperta *lymphá*, quæ interdum commisit, ut pulmones *pleuræ costali* accreverint.

XLIV. Cor nonnunquam oppletur atque distenditur nigro et coacto sanguine; neque rarò in ventriculis, itemque in magnis arteriis hinc enatis, conspiciuntur concreta, quibus polypodes veteres *anatomici* dixere nomen.

XLV. *Pericardium*, auctore LINDIO, plerumque superillinitur *lymphâ*, ei per omnia simili, qua pulmones.

XLVI. Peste, quæ gravissima *typhi* species mihi videtur, mortuorum cor, et arteriæ majores, interdum ampliata, imò etiam rupta, inveniuntur (D). Intestina quoque signa exhibent, ex quibus constat, affecta, ante mortem, inflammatione, exulceratione, imò interdum gangrænâ fuisse.

XLVII. Hepar nonnunquam conspicitur admodum tumefactum, et vasa ejus sanguine nigro turgida. Vesica fellea plerumque plena est bile nigrâ aut subviridi.

D E

---

(D) Vid. CHENOT. *De la Peste.*

DE

## DIAGNOSI.

XLVIII. Etsi, primo impetu, *typhus* aliis febribus haud dubiè similis sit; tamen, haud multò pòst, proprias sibi notas ostendit, quibus ab aliis satìs distinguatur. Solus morbus, à quo medicorum multùm interest *typhum* incipientem dignoscere, *synocha* est; quæ, per duos tresve dies primos, *typho* adeò similis est, ut, haud rarò, peritissimi medicorum nesciant, utra februm urgeat, accuratè discernere.

XLIX. Qui *typho* implicantur, eorum vires magis dilabuntur, magisque marcet animus, quàm eorum, qui *synochâ*; delirium maturiùs incipit, et mitius est; facies pallidior est, lugubrior vultus; arteriarum pulsus celerior, imbecillior,



imbecillior, atque frequentior; temperatior summæ cutis calor, minùs importuna sitis; urina copiosior, at minùs colorata. *Petechiæ*, porrò, haud rarò *typho* ægrorum cutem deturpant, omnemque de morbo dubitationem ex medici animo tollunt.

L. Quinetiam, *synocha* festinantiùs, atque signis minùs dubiis, quàm *typhus*, adoritur. Ille morbus constitutione corporis robustos et validos, præ cæteris, incursat; hic, contrà, debiles plerumque et laxos. *Typho* laborantibus detractio sanguinis, aliæque exinanitiones, quippe cùm arterias, mirum in modum, submittant, magnopere nocent: dum iis, qui *synochâ* urgentur, plurimùm opitulantur.

LI. Delirium, porrò, quod illam febrem comitatur, ad tempus tollit, aliaque mala levat, vinum, aut opium, aut alia quæ cor stimulant et arterias: contrà, omnis incitatio nimios cordis arteriarumque motus, ac insaniam, intendit, quibus insignitur *synocha*. *Synocha*,

*nocha*, denique, *petechias* nunquam movet ;  
*typhus* ferè semper.

LII. Medici, haud ita pridem, multum temporis triverunt, ut exponerent, quibus notis distinguerentur *typhus* et *synochus*. Sed, nostris temporibus, GREGORIUS, clarus in primis, aliique medici multi nominis, contendunt, et, me iudice, rectè, *synochum* duntaxat *typhi* varietatem esse ; quam proprietas quædam ægri corporis, aut impotentior tabes, aut minor cœli tempestatumve gravitas, efficit.

LIII. Nonnulli putant, pestem morbum esse à *typho* prorsùs diversum. Sed contraria opinio vero propior nobis videtur. Namque, ut, in utrisque, materiam ex corpore quomodo-  
cunque demere, æqualiter pariterque nocet ; ita, in utrisque, prosunt vinum cæteraque stimulantia. Utrique, denique, morbi eodem tabo nascuntur, neque, nisi vi malorum, quæ ægris afferunt, variare videntur.

LIV. Disputatum inter medicos est, idem, necne, morbus *typhus* sit cum febre puerperarum. Contendunt quidam medici, hanc febrem *synocham* esse, atque oriri ex detrimento, quod delicata genitalia, inter parturiendum, acceperunt. Nonnunquam verò partui supervenit, ubi non est, quamobrem, has partes læsas fuisse, opinemur. WHITIUS, MANCUNIENSIS, medicus præclarus, ostendit, febrem, in quam incidunt puerperæ, *typho* cum signis tum curatione similem esse; atque, ni fallor, plerique nunc medici ad ejus sententiam accedunt.

LV. Alii quidam morbi sunt, quibus et *typho* quorundam signorum communitas est, *pemphigus*, nempe, et *cynanche maligna*. Sed notæ, quibus hi morbi à se invicem distinguantur, itemque à *typho*, adeò fusè et luculenter à CULLENO expositæ sunt, ut eas, hìc loci, recensere supervacaneum esset.

DE

## PROCLIVITATE.

LVI. Experimentiâ plûs satis constat, corpus, quo magis debilitatum sit et relaxatum, eo aptius esse, quod tabificâ materiâ afficiatur. Quo fit, ut medici annumeraverint causas, quibus in *typhum* proclives redduntur homines, omnia, quæ corpus infirmant et debilitant. Præcipua ex his, et quemadmodum corpus afficiant, nunc ordine et quàm brevissimè dicam.

LVII. *FRIGUS*,—seu, quod idem est, caloris penuria, tam animalibus, quàm terrâ natis, nocivum est. Hoc enim, si simul adjuvet humor, hominum corporibus insigniter nocet.

Motus

Motus arteriarum tardat : animum demittit :  
ubique corporis, sensum molestum movet : et,  
denique, pro vi et diuturnitate, plùs minùs  
debilitat.

LVIII. Quin sedandi vi polleat frigus, haud  
dubitandum est. Potest enim, modò satis ve-  
hemens sit, non solùm partium sed etiam to-  
tius corporis vitam extinguere : et, quando  
consideramus, quàm necessarius ad vitam ani-  
malium sit calor, dubitare non possumus,  
quin frigus semper, plùs minùs, eorum corpo-  
ra sedet (F).

LIX. Frigus, haud longo tempore, animalium  
corpora, ex toto, stupefaceret, nisi calo-  
rem generandi facultate pollerent ; ob quam,  
se satis calida conservare possunt, etiamsi am-  
biens aër, atque vicina corpora, ipsis sint fri-  
gidiora.

LX.

---

(F) Vid. CULLEN. *First Lines*, vol. i. p. 133.

LX. *CALOR*—modicus necessarius est, non solùm ad ortum, sed etiam ad incrementum et vigorem, tam animalium, quàm eorum quæ terræ stirpibus inhærent. Gratâ enim vice veris et *FAVONI*, omnia, quæ alit alma tellus, gemmare incipiunt, atque æstivo calore florent; sed, senescente autumno, marcent ac deflorescunt, neque rarò hiemalibus frigoribus moriuntur.

LXI. Caloris autem sive nimia vis, sive nimia longinquitas, cùm animalia, tum terrâ nata, laxat, languefacit, et infirmit; eòque magis et citiùs, quò major eorum latitudo ei objicitur.

LXII. Nimium calorem debilitare, satis inter omnes constat, qui attento animo animalia et plantas observant. Quippe, per torrentes æstus æstivos, illa, potissimùm meridiano tempore, languescunt; anhelant; atque opacum frigus captant, ubi vires recreentur. Eodem tempore, plantæ, viribus languentibus,  
capita

capita demittunt ; folia flaccent ; languescunt viriditas et pulchritudo : atque, quotquot fabricâ absolutiores sunt, irritabilitate et motibus interquiescentibus, quasi somno consopuntur. Sic meridie obdormiscunt *dionæa muscipula*, *mimosa pudica*, *bedysarum gyrans*, et si qua similia.

LXIII. *VITA IGNAVA ET SEDENTARIA.*—Quantum ad incolumitatem corporis et animi conducat modica utriusque exercitatio, ignorat nemo. Verum vehemens tamen nimisve longa, uti animi intentio, ita corporis exercitatio, hominibus adeò non confirmat prosperam valetudinem, ut eos potiùs laxet atque debilitet. Neque, profectò, minùs tam animi quàm corporis saluti et firmitati nocent torpida socordia atque segnitia. Ita enim homines natura finxit et fabricata est, ut eorum animos enervent, pariter et corpora effœminent, inertia et pigritia.

LXIV. *ABSTINENTIA.* — Quotidianâ experi-  
entiâ et observatione satîs constat, muneribus  
peragendis, quæ ad vitam et salutem necessa-  
ria sunt, non humores modò animalium cor-  
porum, verùm solidas quoque partes, quoti-  
die dissipari ; ac, ni amissa repensaret quoti-  
dianum alimentum, brevi fore, ut corpora, et  
cum iis vita, dilaberentur.

LXV. Ne hoc accidat, beneficio providentis-  
simæ naturæ non solùm impellimur fame et siti  
ad cibos quotidie et potus assumendos, quibus  
cùm ipsæ impleantur, tum reparentur et sus-  
tineantur vires ; sed etiam organis instrui-  
mur, quibus assumptum alimentum, per va-  
rias mutationes, in sanguinem perficiatur, et  
hinc in varios accommodetur corporis usus.

LXVI. “ A due proportion of aliment,” in-  
quit GARDINERUS, “ removes the disagree-  
“ able sensation of hunger, and that faint-  
“ ness with which it is always accompanied.  
“ Proper food, likewise, gives a stimulus of

“ an



“ an opposite kind to the nerves of the sto-  
 “ mach, by which they acquire additional  
 “ strength and firmness ; and, as the whole  
 “ system sympathizes with the stomach, the  
 “ same effects are extended to every part of  
 “ the body, and enable us to renew our la-  
 “ bours with fresh vigour (F).”

LXVII. Quòd si alimentum vel nimis par-  
 cum sit, vel eâ naturâ, ut non satîs nutriat,  
 corpus debilitetur necesse est ; propterea quòd  
 nutrimentum non sufficit ad partes reparan-  
 das, quæ, per innumeros exitus, dissipantur.

LXVIII. *VIGILIA.* — Quamquam cibus et po-  
 tus, itemque alia stimulantia, eâ assumuntur  
 copiâ, quæ vitam sustineat ; tamen neque  
 vita neque valetudo diu conservari potest,

nisi

---

(F) Vid. GARDINER. *Animal Economy.* pag. 30.

nisi, constitutis à natura temporibus, vigiliæ succedat recreans somnus. Innumera enim, quibus nostra interdiu corpora incitantur, adeò vires exhauriunt, ut nocturna quies et gratus somnus necessaria sint ad vires adeò reficiendas, ut apta evadant, quæ, postero die, incitantibus moveantur.

LXIX. Quum ita sit, insomnia longa, aut somnus frequenter divulsus, aut somnus nimius nimisve brevis, corporibus nostris plurimum nocet : quippe vigiliâ diutinâ, aut somno interrupto nimisve brevi, vires exhauriuntur ; solidæ partes relaxantur ; atque plurimum labefactatur corporum constitutio.

LXX. *INTEMPERANTIA.*—Quantùm ad salutem et animi et corporis conferat temperantia, omnes medici uno ore consentiunt. Pauci tamen, nostris temporibus, temperantiam colunt. Ferè unus enim hominum quisque, pro facultatibus, exquisitis dapibus mensas ornat ; atque, sicuti duntaxat viveret ut esset,

sese opiparis cibus et potibus quotidie ingurgitat.

LXXI. Quantum cum animi tum corporis sanitati noceat talis vivendi ratio, quis ignorare potest? Namque jejunus ventriculus, quem nondum enervavit luxuria, vulgaria et simplicia rarò temnit, dum sumptuosas conditasque dapes fastidit; atque omnia animalia, præter homines, naturâ duce, famem atque sitim opperiuntur, neque nisi simplicissimo alimento et potu cupiditatem cibi et potûs explent.

LXXII. Nostrâ præterea ætate, vina, distillati ministro igne liquores, atque liquores fermentati, *CEREVISIÆ* dicti, luxuriæ incitamenta sunt; et à ventri obedientibus bibuntur fœcundis calicibus, ut lassum ventriculum accendant. Hujusmodi humores, quamvis, dum vigent et valent hominum corpora, rarò nocerent, modò temperatè adhiberentur; tamen nunquam non intemperatis et temulentis

lentis plurimùm nocent. Humana enim corpora ita constituit Natura, ut stimulantia, nisi immodica sint, iis vigorem impertiant; sed, stimulatione languescente, animus pariter et corpus, sicut delassata, tantùm torpeant, quantùm antè incitabantur, neque, nisi multò pòst, naturalem redipiscantur valetudinem.

LXXIII. Hinc satis elucet, quamobrem omnia, quæ animum et corpus nimis instigant, eadem, fatiscente instigatione, debilitent. Hujus generis sunt intemperantia cibi et potûs, nimis frequens concubitus, mens in studia nimis intenta; itemque nimii quidam motus animi, velut ira, gaudium, et si qui similes.

LXXIV. Militia VENERIS, si immodica sit, ultra quam vires pati possint, mirum in modum, cùm corpus debilitat, tum hebetat animum. Non solùm enim voluptate et jucunditate, quibus sensus perfundit, nervos et cerebrum nimis incitat, et sic et animi et corporis

ris languorem inducit ; sed nimio dispendio seminis, quod in frequente nimis congressu accidit, partes infirmat supraque modum deplet, quarum vigor et plenitudo ad salutarem totius corporis animique incitationem prorsùs necessaria sunt. Quantum corpus relaxet et infirmet nimius congressus VENERIS, clarè constat ex eo, quod literis mandavit DIEMBROKIUS ; eos nempe, qui nuper connubio juncti sunt, esse, præ cæteris, grassantibus morbis opportunos.

LXXV. *EXINANITIO NIMIA.*—Modica vasorum plenitudo, ad salutem tutam et integram conservandam, prorsùs necessaria est. Namque, quandocunque humores, ultra modum, minuuntur, vasa sese contrahunt, atque debilitas, pro humorum penuria, supervenit. Hinc fit, ut magna profluvia sanguinis atque alvi, et profusus sudor, vires dissipent, atque corpus simul infirment et animum.

LXXVI. *ANIMUS DEMISSUS.*—Utrùm corporeus animus sit, an incorporeus, acriter inter philosophos disputatum est, atque etiamnum disputatur. Incorporeum esse, mihi, confiteor, verisimilius videtur. Ignoro autem, quemadmodum animus, in quo inest nihil terrenum et concretum, agere possit in terrenum et concretum corpus. At hoc tamen satis constat, tantum corpori consensum esse cum animo, ut ex hujus perturbationibus illud plerumque malè afficiatur.

LXXVII. Quum ita sit, haud mirum est, quibusdam animi affectibus motibusque, veluti metu, mœrore, livore, mœstitiâ, desperatione, aliisque, quos nominatim memorare supervacaneum esset, mirum sæpe in modum, macerari corpus. Enimvero, quando huius turbatur animus, haud insolitum est, faciem pallere; arterias imbecilliter micare; extremitates membrorum intremiscere; oculos illachrymare; et fæces atque urinam, sine voluntate,

voluntate, egeri: quæ utique omnia, debilitatis indicia sunt.

LXXVIII. *PRÆGRESSI MORBI.*—Quorum corpora multum debilitata sint, necdum satis convaluerint, ii sanè apti, præ validis, sunt, qui ex tabo quolibet morbum nanciscantur.

LXXIX. Quum omnes causæ, quas memora-  
vimus, vires, tam corporis quàm animi, rectà  
haudve rectà labefactent; concludere liceat,  
quotquot mortales utcunque debilitent, ea in  
*typhum* proclives facere, atque proclivitatem,  
pro debilitate, majorem esse aut minorem.

LXXX. Priusquam hanc rei nostræ partem  
relinquimus, haud alienum erit interdicere,  
mortales, inter pubertatem et trigesimum  
quintum vel quadragesimum ætatis annum,  
aptiores esse, qui tabe inquinentur et in fe-  
brem incidant, quàm aut minores natu aut  
majores; atque infantes, nondum sexennes,  
rarissimè *typho* corripì.

LXXXI. Phthisicos, itemque hydropicos, proprietates quædam corporis, quam verbis describere non possumus, mirum in modum, tutatur à tabo, quo *typhus* concitatur.



D E

## CAUSIS EXCITANTIBUS.

LXXXII. Etsi opinentur multi scriptores, *typhum* persæpe excitari vaporibus, quos exhalant putrida, sive ea quæ haud ita pridem ad animalia pertinebant, sive ea quæ à terra per stirpes alebantur; tamen nobis videtur, *typhum* his solis rarò moveri.

LXXXIII. SWIETENIUS, auctor gravis et præclarus, hac de re dicit his verbis:

“ Illos, qui coria animalium ad varios usus  
 “ parant, illos, qui gluten ex animalium par-  
 “ tibus conficiunt, perpetuò inspirare aërem  
 “ putridis exhalationibus inquinatum, et ta-  
 “ men vivere satès sanos. Fœtor autem tan-  
 “ tus est in his locis, ubi talia opificia per-

“ aguntur,

“ guntur, ut vel transeuntibus offendat.  
 “ Immò, observatum fuit, aërem putridis ef-  
 “ fluviis repletum, fuisse pestis remedium  
 “ (G).”

LXXXIV. Quinetiam, certior factus sum à familiari amico, qui, per complures annos, cadavera incidere et rimari consuevit, ne unam quidem febrem putridis exhalationibus ortam esse; etiamsi et ipse, et ii quos incidendi arte instituit, sese, per multas quotidie horas continuas, objicerent vaporibus orto ex cadaveribus, sæpe adeò putridis, ut intolerandam, maximè advenis, quibus insolita erat, odoris foeditatem emitterent.

LXXXV. Verùm, etiamsi *anatomici* corpora, quæ, uti ea ab amico incisa, non morbis pestilentibus exanimata sunt, impunè secant; ta-

F men

---

(G) Vid. SWIETEN. *Comment. in BOERHAV. Aphorism.* tom. v.

men caveant, ne ea patefaciant, quæ vitâ orbârunt pestiferi morbi. Hæc enim ferro et impiis manibus violare, nefas est, aut pretium est mori.

LXXXVI. Haud ita pridem omnes, et etiamnum, credo, plurimi, existimant, subitam mortem, quam nonnunquam afferunt exigua vulnera, vel puncturæ, inter cadavera ferro patefacienda acceptæ, oriri ex putrida materia absorpta ex vulneribus puncturisve, atque delata in sanguinem.

LXXXVII. Hæc verò opinio nihil habet firmitatis. Mors enim haud rarò accidit, quadraginta haud amplius horis, post acceptum vulnus; neque verisimile est, absorptam putridam materiam posse, tam brevi tempore, per vasa bibula in sanguinem deferri, et hunc usque eò vitare, ut febrem moveat. Interdum, porrò, accidit, ut ex vulneribus, quæ inflixit ferrum tabo non turpificatum, eadem prorsùs mala oriantur.

LXXXVIII.

LXXXVIII. Quanquam ostendere conatus sum, vapores, quos exhalant animalium cadavera excrementaque, plerumque, per se, ad *typhum* concitandum inefficaces esse; tamen non mihi in animo est affirmare, humano corpori nihil nocere. Contrà, puto, putrescentia sedandi seu debilitandi facultate pollere; quippe cum ii, qui iis diu objecti sunt, haud raro nauseent, vomant, facie pallidâ sint, animo demisso; aliisque præterea malis vexentur, qualia sedantia afferre solent. Cum ita sit, haud scio, annon exhalationes ex putrescentibus animalium corporibus interdum, licet rariùs multò, quàm vulgò creditur, febrem moveant; præsertim in iis hominum, qui aëra impurum spirare non assueverunt.

LXXXIX. Nunc satis supèrque constat, febres intermittentes ex anhelitu paludum palustriumve locorum oriri, quem calor movet. Talium verò locorum exhalationes rarissimè,

si

si unquam, *typhum* excitant; quamvis haud  
ignorem, aliter videri quibusdam auctoribus.

xc. Nonnulli etiam putant, *typhum* inter-  
dum effici alimento putrescente, vel alioquin  
insalubri; affectibus animi contristantibus;  
frigore cum humore; et, si qua, similibus.

Hæc autem, meâ opinione, plerumque nihil,  
præterquam corpus humanum huic morbo  
opportunum faciunt. Veruntamen haud scio,  
annon interdum, modò alia simul adjuvent,  
ipsam febrem concitent.

xcī. Ut putemus multas causarum, quibus  
*typhum* concitari putant nonnulli auctores, ad  
concitandum inefficaces esse, idcirco induci-  
mur: quòd multa millia hominum iis quoti-  
die objiciuntur, neque tamen in hanc febrem  
incidunt: quòdque philosophiæ dissentaneum  
est, uni harum causarum cuique vim ei similem  
attribuere, qua pollet tabum id, quod in cor-  
poribus, quæ impleverit, nunquam non, modò  
proclivia quomodocunque reddita fuerint, *ty-*  
*phum*

*typhum* concitat; quodque, si qua nutrimenta  
ejus vim accenderint, vel robustissimos validis-  
simosque hac febre afficit; præter rarissimos  
quosdam, qui quadam corporis constitutionis  
felicitate gaudent, quæ eos à maxima hujus  
tabi vi, quanta enimvero *PESTEM* concitet,  
prorsùs tutatur.

XCII. Huc accedat, quòd nemini, quantùm  
scimus, in mentem venit medicorum, *pertus-  
sim, cynanchen malignam, variolam, rubeolam,*  
cæterosque morbos pestilentes, quibus obnoxii  
sunt mortales, diætæ insalubri, metui, terrori  
aliisve animi ægritudinibus, aut frigori, im-  
putare. Hæc, enimvero, mortalium corpora  
apta reddant, quæ tabum pestilens penetret  
et inquinet, sed nequeunt, per se, pestilen-  
tiam concitare.

XCIII. Quum ita sit, nonne æquum est con-  
cludere, *typhum*, pariter atque alii morbi pes-  
tiferi, tabe quadam speciali oriri? Inter  
hanc verò tabem, et eam qua enascuntur alii  
quidam

quidam pestilentes morbi, veluti *variola* et *rubeola*, hoc interest; quòd non perennis est, sed identidem extinguitur, deinde humore, calore, impuro aëre, hominum pecudumque colluvie, aliisque forsitan nondum cognitis, regeneratur, atque contagione mortalium corpora labefacit.

DE

## DE

## TABI ORTU ET EFFECTIBUS.

xciv. Diu cùm medicis, tum medicinæ imperitis, notum est, halitum perpetuò oriri, non solùm è summa cute, sed etiam, inter animam reddendam, ex pulmonibus. Hic halitus, dummodo in aëra communem dispergatur, animalium corporibus haud nocet. Si verò cumulat, circa corpus unde emanavit, vel in locis quæ non habent aëris perflatum, acerrimum venenum fit; atque, modò hominum corporibus admoveatur, febrem, quam persequimur, concitat.

xcv. Subtilissimum venenum sic generatum, et in sacram *typhi* causam conversum aut modificatum,



modificatum, *CONTAGIO* à scriptoribus, *LATINI* sermonis integritatis parùm studiosis, nominatum est. Potest autem rectiùs *TABUM*, seu *TABES*, appellari.

xcvi. Talem esse causam *typhi*, satìs superque constat ex iis, quæ, de hac febre in carceribus quibusdam valetudinariisque grassante, observandi occasio medicis dudum oblata est. Nulla enim, apud medicos, dubitatio relinquitur, quin orta hæc febris sit tabo, ab ipsis corporibus ibi detentis generato, atque sic orta, contactu, et ministeriis in vicem, vulgaretur. Neque, profectò, dubium est, quin, in aliis itidem locis, hujusmodi tabum generetur, fiatque sacerrima *typhi* origo.

xcvii. *Tabes* autem *typhi* genitrix, non, sicut ea qua oriuntur alii quidam morbi pestilentes, perennis est; sed, modò non alatur corporum humanorum, vestitûs, loci, odoris fœditate, aliisque quotquot vim ejus pestiferam foveant, prorsùs interit, neque, nisi hæc  
ad

ad regenerandam conspirent, unquam renascitur.

xcviii. Si attento animo consideramus, qua naturâ sint febres tabe ortæ, verisimillimum apparebit, communem omnium tabem genitricem, esse tetram quandam vim exhalationum humanorum corporum, seu, ut ita dicam, vitiositatem. Quippe vi duntaxat signorum inter se differunt; prout, forsitan, tempus anni, cœlum, prægressa ægri corporis valetudo et constitutio, et si qua similia, genitricis tabis vim mitigaverint aut intenderint (H).

xcix. Quum tabum, quo concitatur *typhus*, subtilius sit, quàm quod sensu percipi possit, ejus vires, tam physicas quàm *chymicas*, ferè prorsùs ignoramus. Interdum verò odoris fœditas, quæ aut comes ejus est, aut proles,

G

nares

---

(H) Vid. CULLEN. *First Lines*, vol. I.

nares gravissimè offendit. Sed, in re tanta, LINDIUM, gravem sanè auctorem, pro me, ponam.

c. "In discoursing" (inquit) "with several, who have been infected by patients in contagious fevers, they generally compared the first impression to an earthy disagreeable scent, received into the stomach, as from a grave newly opened, but not quite so raw as the cadaverous stench; and the effects of it, shivering and sickness, were instantaneous. This is a particular smell, which cannot be well described; but it is well known to the attendants about the sick. Some compare it to that of rotten straw; or it sometimes most nearly approaches to the disagreeable affecting scent from a person labouring under the small-pox, at their turn, though not quite so strong (1)."

CI.

---

(1) Vid. LIND. on *Fever and Contagion*.

Ci. Etiam si tabum, quo concitatur *typhus*, adeò subtile sit, ut sensu non percipiatur; tamen certò scimus, eâ naturâ esse, ut vi suâ non solùm vestes omnes penetret, sed etiam metallis, parietibus tabulatisque ædificiorum, itemque parietibus constratisque navium, adhæreat.

Cii. Corpora, quæcunque sint, tabo imbuta, à medicis *FOMITES* nominantur. Tabum, his fomitibus exceptum, non solùm diu retinetur, sed, quod mirum in primis est, majorem vim febris concitat, quàm ipsæ exhalationes ex corporibus hominum eâdem pestilentia infectis.

Ciii. An major fomitem pestilitas majore vi tabi in exiguo loco collectâ efficiatur; an fermentatione quadam, quam subiverit, quaque se multiplicaverit; an alia quavis mutatione, quæ ejusdem vitiositatem auxerit; nondum certò cognitum habent medici.

CIV.

civ. Quanquam, uti suprâ diximus, tabum, quod *typhum* concitat, itidemque alia quædam, aëre cœli dissipantur, eique commista innatant ; tamen observatu dignum est, nunquam pestilentias, suam quodque, movere, nisi sint prope fontem unde emanaverint, inquinata, nempe, hominum corpora, aliave quæ horum exhalationibus polluta sint (κ).

cv. Fieri autem potest, ut inquinata corpora, quæ ipsa *typho* non laborent, aliis tamen corporibus tabum communicent. Namque, anno redemptæ hominum salutis millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, in judiciis OXONIENSIBUS ; et, anno millesimo septingentesimo quinquagesimo, in judiciis LONDINIENSIBUS, quæ in foro juridico habitant sunt, quod, ipsorum linguâ, *OLD BAILEY* ANGLI nominant ; rei rerum capitalium, qui, co-

ram

---

(κ) Vid. CULLEN. *First Lines*.

ram iudicibus, causam dixerunt, quorumque corpora et vestitus inquinata tabo in carceribus fuerant, quamvis ipsi *typho* non laborarent, multos tamen in consessu contagione labefecerunt.

CVI. Sed unde accidit, ut hi facinorosi non ipsi *typho* corriperentur, in carceribus, quibus detinebantur? Explicatu haud difficile est. Quippe fieret, ut in Tullianis incultu, tenebris, odore fœdis, per hebdomadas, fortasse etiam menses, detenti, putrescentibus exhalationibus sensim cumulatis paulatim adeò assuescerent; ut hinc detrimentum haud magis acciperent eorum corpora, quàm offenduntur coriariorum nares odore fovearum, quibus depsuntur coria, aut nares opificum candelarum, odore rancidi sebi (L).

CVII. Cognitis malis, quæ, OXONIÆ et LONDINII in consessu iudicum, acciderunt,  
satis

---

(L) Vid. HEYSHAM. *On the Jail Fever.*

satis supèrque apparet, tabum, quo concitatur *typhus*, posse in loca, complures ulnas distantia, flabro diffundi, et nihilo tamen minùs hanc febrem movere. Namque exhalationes, quas aër, per apertam fenestram intromissus, secum ex reorum corporibus attulit, eos, quotquot hic afflavit, in remotissimis fori partibus, tabo infecerunt; et, quotquot infecti, febre correpti sunt.

CVIII. Dubitari non potest, quin cœli conditionibus quibusdam *typhus*, haud secùs atque aliæ pestilentiaë, ingravescat et vulgetur, atque aliis mitescat et inhibeatur.

CIX. Cœli siccitas, uti videtur, pestilentiis vulgandis haud idonea est. In ora enim maritima AFRICÆ, dum spirat ventus, qui, mirum in modum, omnia exsiccat, quemque, ipsorum linguâ, *HARMATTANAM* indigenæ appellant, pestilentes morbi sistuntur, atque homines à febribus plerumque profluviisque revalescunt.

cx. *Typhus*, qui, in temperatioribus regionibus, tam frequens est, calidioribus languescit; atque, inter solstitiales metas, prorsus interit cœli ardoribus. Contra ea, acerbissimo frigore vis ejus nihil levatur. Imò frigus, modò aër concretus et humidus adjuvet, nocendi potentiorum reddit.

D E



## DE

## TABI INTROITU.

**CXI.** Quâ viâ tabum corpus ingrediatur, nondum inter auctores convenit. Nonnulli contendunt, unâ cum spiritu in pulmones trahi, et hinc, per vasa absorbentia, transmitti in circumfluum sanguinem. Aliis placet, ex communi aëre absorberi bibulis vasis in summam cutem patentibus, et hinc in sanguinem deferri. In stomachum, ut aliis videtur, unâ cum saliva et alimento devoratur; unde, per vasa absorbentia, in sanguinem invehitur.

**CXII.** Verùm, etiamsi medici intenderint omnes nervos, ut has sententias, aliam autem

alii,

alii, argumentis confirmarent, res tamen non solùm integra etiamnum manet, sed etiam controversa et perobscura.

cxiii. Etsi multi medicorum existimârunt, tabum, unde oritur *typhus*, corpus penetrare, per vasa absorbentia, quæ in pulmonum fistulas et vesiculas patent, tamen subdubito, unquamne hac viâ corpus ingrediatur. Potest, enimvero, fieri, ut spiritus tabo inquinatus trahatur in pulmones; sed, quandoquidem hinc, momento ferè temporis, emittitur, tempus, meâ opinione, non datur, quo vasa bibula tabum absorbeant. Quinetiam, si, per pulmones, tabum corpus intret, quomodo fit, ut illi non primum et gravissimum hinc detrimentum accipiant?

cxiv. Mihi itidem dubium videtur, per vasa, necne, bibula, quæ patulis osculis in summam cutem hiant, tabum introëat. Namque pestilentes morbi, quotquot insitione vulgan-

H

tur,

tur, veluti *variola*, *rubeola*, aliique, initio in parte, ubi insitum tabum sit, solâ consistunt ; neque, nisi sex, octo, decemve post dies, imò nonnunquam multo plures, quàm introductum tabum est, afficiunt totum corpus. Contrà, tabum, ex quo *typhus* enascitur, totum haud rarò hominem, protinùs ferè ut admotum corpori est, malè afficit ; et ferè semper diu antè, quàm posset, per vasa absorbentia, inveni in irrequietum sanguinem, aut tantâ copiâ in vitalia, quanta his detrimentum afferret.

cxv. Præterea, si tabes, per cutem, corpus intraret, verisimile est, ferè semper partem summæ cutis, cui admota esset, aliquo malo affecturam. Quid enim tutaretur cutem, ne quid mali acciperet à materia tam pestifera, quæ in corpore, quod vi suâ impleverit, gravissimum morbum concitat ?

cxvi. Quum ita sit, mihi verisimillimum videtur, tabem, ex qua *typhus* oritur, unâ cum saliva

saliva et alimento in stomachum devorari, atque hinc, per vasa absorbentia, irrequietum transmitti in sanguinem. Quippe concurrunt multa, quæ hanc opinionem confirmare videntur.

CXVII. Paulò enim pòst, quàm homo tabo expositus est, stomachus imbecillus fit, et ad cibos perficiendos invalidus. Quinetiam, oblatum alimentum fastidit, neque rarò assumptum protinùs rejicit. Eodem ferè tempore, ob consensum, qui, per nervos, ei est cum stomacho, caput dolet, et vertigine afficitur. Ob similem, porrò, consensum, summum corpus horror percurrit, vicissimque calor insolitus. Ubique, denique, corporis, magna nervorum invaletudo est, propterea quòd participes fiunt infirmitatis ventriculi.

CXVIII. Quinimo, *tabacum*, aliaque quæ homines mandere solent, ut salivam moveant, impediunt, quò minùs eorum corpora tabo inficiantur,

inficiantur, atque sic à *typho* tutant. Quo autem modo hoc faciant, nullum sanè novimus, nisi quòd committendo, ut sæpiculè expuatur saliva, obstant, ne tabum devoretur in stomachum.

DE

TABI ACTIONE.

cxix. Quoniam ex notis, quibus *typhus* insignitur, plùs satìs constat, tabum, quo concitatur, mirum in modum, corpus debilitare, id profectò, de quo inter omnes ferè medicos consentitur; non videtur necessarium, ut, de hac rei nostræ parte, multa dicamus. Satìs erit, argumenta, quæ adduxit CULLENUS, citare; cùm præsertim videantur omnes ferme numeros habere veritatis.

cxx. “ To render our doctrine of fever,” inquit hic auctor præclarus, “ consistent  
 “ and complete, it is necessary to add here,  
 “ that

“ that those remote causes of fever, human  
“ and marsh effluvia, seem to be of a debili-  
“ tating or sedative quality. They arise  
“ from putrescent matter. Their production  
“ is favoured, and their power increased, by  
“ circumstances which favour putrefaction,  
“ and they often prove putrefactive ferments  
“ with respect to the animal fluids. As pu-  
“ trid matter, therefore, is always, with re-  
“ spect to animal bodies, a powerful seda-  
“ tive, so it can hardly be doubted, that hu-  
“ man and marsh effluvia are of the same  
“ quality; and it is confirmed by this, that  
“ the debility which is always induced,  
“ seems to be in proportion to the other  
“ marks that appear, of the power of those  
“ causes (M).”

D E

---

(M) Vid. CULLEN. *First Lines*.

DE

## PROGNOSI.

cxxi. Indicia, quæ spe consolantur, sunt lingua nitida et humida; moderatior sitis; saliva solito uberior, absque *aphtis*; cibi cupiditas; modicum alvi profluvium, præcipuè, si, quæ descendunt, sunt felle suffusa; sudores tepidi, sponte orti, et per totum corpus æquales; remissior summæ cutis calor; pustulæ scabiosæ, circa os, nares, auresve, ortæ; arteriarum motus validiores, at tardiores; dolor capitis vino aliisque stimulantibus levatus; vires ferè integræ vel duntaxat paululum fractæ; delirium, quod neque maturè nascitur,



nascitur, neque natum semper urget; levior sopor (N); abscessus in glandulis *parotidibus*, axillaribus vel inguinalibus; papulæ albidæ, miliariaë, quas neque antecesserunt, neque comitantur, profusi sudores; papulæ rubræ, pruriginosæ, et vesiculæ aquâ plenæ, in dorso atque pectore; morbus, ultra undecimum diem protractus; gravitas auditûs, præcipuè si supervenerit auris abscessus; in provecto morbo, urina turbida, copiosa, in qua quædam subsidunt.

CXXII. Signa, contrà, quæ metu terrent, sunt facies pallida, cujusque notæ minuuntur; sordida, aridaque lingua; insedabilis sitis; spuma oris; *aphtæ* livescentes, aut nigricantes, cum tetrìs faucium ulceribus; devorandi difficultas; vomitus materiæ nigrae et fœtidæ; singultus; alvus fluens,  
atque

---

(N) Vid. CULLEN. *First Lines*.

atque ea, quæ excernuntur, perliquida, cruenta, et fœtida; pulsus arteriarum imbecilles, creberrimæ, exiguissimæ, et compressu faciles; ultima corporis infirmitas; delirium ferox et continuum, potissimum si maturè accedat; oculi hebetes, et aspectu vitrei, quique caligant; dolores in capite orti, aut in thoracis visceribus, aut abdominis; defectus animæ, quoties æger erigitur; spirandi difficultas, sine ullo malo pulmonum; anima fœtida; sudores gelidi, lenti, in partibus orti; cutis fervida et arida. Eadem mors denunciatur, ubi æger in veste floccos legit, fimbriasve diducit; ubi brachia et pectus subinde nudat; ubi urinam subatram, fœtidissimamque reddit. Illa quoque mortis indicia sunt, sudores profusi et fœtidi; cruor sub cute effusus, *petechias*que, aut maculas, aut vibices repræsentans; tumidum intentumque abdomen: aut si extremitates membrorum inalgescunt, in hisque cutis adducitur; si æger

suae mentis non est, supinusque assiduè cubat ; si genua contrahit, et deorsum ad pedes subinde delabitur. Sanguinis etiam profusiones ex variis corporis partibus ; oculi rubri, et truces ; cadaverosus totius corporis fœtor ; mingendique impotentia ; mortem subesse testantur. Neque is servari potest, cujus oculi illachrymant ; cujus urina atque fæces, sine voluntate, egeruntur ; qui, alto sopore obrutus, assiduè dormit. In præcipiti verò jam esse, denunciant, nervorum singultus ; manuum exsertæque linguæ tremores ; atque musculorum convulsiones.

DE

## SIGNORUM RATIONE.

CXXIII. *DEBILITAS*,—quæ nunquam non *typhum* comitatur, ex cerebri omniumque nervorum invaletudine oritur; quam effecit tabum, quo hæc pestilentia concitatur.

CXXIV. *ARTERIARUM PULSUS*—in carpo debiles sunt, propterea quòd, præ debilitate, cor et arteriæ majores nequeunt in extremas partes corporis satîs magnâ vi et copiâ sanguinem diffundere.—Crebri sunt, ob nimiam cordis arteriarumque irritabilitatem, et ob sanguinem, in extremas partes distributum, solito parciolem.—Cùm vi tum temporibus inæquales

inæquales sunt, quia, ob nimiam irritabilitatem, ventriculi cordis sese priùs contrahunt, quàm satis repleti sunt.

CXXV. *CALOR INTENSUS*—fit, quia exhalantium arteriarum extremitates, quippe cùm contractiores sint, quàm ex consuetudine, non, uti solebant, halitum emittunt; quo fit, ut calor, qui in partibus interioribus generatur, nequeat summâ cute emanare.

CXXVI. *DOLOR*—capitis, dorsi, aliarumque corporis partium, oritur ex languidiore in his partibus sanguinis motu, quàm, sano corpore, solebat. Ineunte enim *typho*, ubi debilitas non ita magna est, molestiæ tantummodo sensus in his partibus percipitur; sed, crescente morbo, et fugientibus viribus, molestia usque eò augetur, ut dolor fiat. Interdum autem capitis, thoracis, aliarumve partium dolores, sanguine in his, præ cæteris, partibus cumulado concitentur.

CXXVII. *PETECHIÆ*—efficiuntur sanguine, quem, præ debilitate et laxitate, arteriæ exhalantes, sub cute vel cuticula, effundunt.

CXXVIII. *LUCIS ET SONI IMPATIENTIA*—oritur ex acerrimo sensu *nervorum, opticorum et auditoriorum*, quem nimius sanguis movet.

CXXIX. *VITREI ASPECTU OCULI*—sunt, propterea quòd, ob debilitatem, extremæ arteriæ oculorum et palpebrarum humorem exhalant, cum parciorem tum tenaciorem, quam ex consuetudine.

CXXX. *PALLIDA URINA*—est, ob spasmus, uti putatur, quo arteriæ renum afficiuntur.

CXXXI. *VOCIS SUPPRESSIO AUT INFIRMITAS*—efficitur resolutione aut infirmitate nervorum *laryngis*.

CXXXII. *EXTREMITATUM FRIGUS*—est, quòd cor et magnæ arteriæ usque eò debilitantur, ut non possint in extremas corporis partes sanguinem satis magnâ copiâ distribuere. Quoniam enim sanguis vehiculum est, quo  
calor

calor totum corpus percurrit, fieri non potest, quin, qua in parte sanguis deficiat, in ea itidem deficiat calor.

CXXXIII. *SITIS*—urget, quia, ob spasmum, quo afficiuntur exhalantes arteriæ, os et fauces humoribus non satis irrorantur.

CXXXIV. *ANIMO DEFICIT* — æger, quoties erigitur, propterea quòd cor, et ascendentes arteriæ, *carotides* nempe et *vertebrales*, nequeunt, præ debilitate, sanguinem in caput salutari vi et copiâ impellere; ideoque fatiscit cerebrum, neque vitalem cordi vigorem impertit.

CXXXV. *FOETOR*,—quem exhalant cutis et pulmones, oritur ex sanguine, in extremis potissimum vasis, usque eò vitiato, ut, si non putridus sit, in eo saltem sit ut putrescat.

CXXXVI. *SPIRITUS EXILIS, CREBER, ET LABORIOSUS* —est, quia muscoli, cum ii qui thoracem ampliant, tum ii qui minuunt, adeò debiles sunt, ut nequeant, uti solebant valentes, sese contrahere,

contrahere, atque vel levissimis contractionibus admodum fatigentur.

CXXXVII. *URINA ATQUE FÆCES, SINE VOLUNTATE, EGERUNTUR*,—propter paralytin aut magnam infirmitatem musculorum, quorum est os vesicæ atque anum claudere.

CXXXVIII. *DEVORANDI DIFFICULTAS VEL IMPOTENTIA*—critur, ex debilitate vel paralyti musculorum faucium et *œsophagi*.

CXXXIX. *OCULI IN ORBITAS RECEDUNT*,—quia, procedente morbo, adeps in imis orbitis, cui incumbunt, ex parte, absorbetur.

CXL. *OCULI VEL FIXI SUNT, VEL TANTUM LANGUIDE SE MOVENT*,—propterea quòd musculi, qui eos solent movere, sese, propter debilitatem, contrahere non possunt.

CXLI. *OFFUSÆ OCULIS TENEBRÆ, ET NIGRÆ MACULÆ IN VESTIBUS VISÆ*,—punctis *retinæ* torpentibus efficiuntur. “Si pars tantùm,” inquit GREGORIUS, “*retinæ* torpet, maculæ nigræ “ in rebus, quas spectamus, conspiciuntur, et “ muscæ ante oculos volitantes, signum in  
“ febribus



“ febribus frequens, sed pessimum, et vix  
 “ non lethale (o).”

CXLII. *OCULORUM OBLIQUITAS, ET EX UNO DUORUM VISIO*,—oriuntur ex paralyisi aut spasmo quorundam musculorum, qui illorum orbibus inseruntur.

— CXLIII. *STRIDOR DENTIUM*—efficitur spasmis musculorum *pterygoideorum*.

CXLIV. *AURES SONORIBUS PLENÆ SUNT*,—ob tremores, seu spasmos, musculorum internorum.

CXLV. *ABDOMEN TUMET ET DISTENDITUR*—ex spiritu intestinis contento; ubi nonnunquam usque eò cumulatur, ut eorum tunicas dirumpat, et in abdomen irruat, mortis nunquam non prænuncius. Tanta spiritûs copia, quanta intestina dirumpat, plerumque, uti putant auctores, inflammatione intestinorum generatur, aut gangrænâ (P).

CXLVI.

---

(o) Vid. GREGOR. *Conspect. Medicin. Theoret.* vol. i. § 260.

(P) Vid. HUXHAM. *On Fevers.*

CXLVI. *SUPINUS JACET ÆGER*,—quia, præ musculorum debilitate, aliam nequit posituram tolerare.

CXLVII. *FACIES, SUPRA CONSUETUDINEM, LONGA EST*,—quòd maxilla inferior, ob ejus musculos debilitatos, plus solito delabitur.

CXLVIII. *VITIUM, denique, HUMORUM*,—quantum quantulumve sit cunque, ex sola oritur debilitate cordis et arteriarum, præcipuè verò harum extremitatum. Extremis enim arteriis quiescentibus, sanguis stagnat, atque calore, qui superest, corporis corrumpitur, et ad putredinem vergit.

DE

## PROPHYLAXE.

cxlix. Quò caveatur *typhus*, ante omnia oportet providere, ne generascat tabum, quo concitetur. Hunc in finem, præcavendum est, ne exhalationes hominum corporum diu stagnando vitium capiant, simulque ne aër cœli putridis excrementis aut cadaveribus vitietur.

cl. Potest autem, ne exhalationes ex humanis corporibus stagnet et putrescant, præcaveri, auras salubrès subinde, per apertas fenestras, aliasve quascunque aperturas idoneas, intromittendo in ædificia, ædificiorumve loca, quæ magna vis hominum frequentat; parietes, laquearia, tabulata, atque supellectilem

identidem

identidem detergendo ; atque cùm corporis munditiæ assiduè studendo, tum vestitûs.

CLI. Est magistratum providere, ne, intra urbem oppidumve, vel in pomœrio, excrementa cadaverave tantâ copiâ coacerventur, ut, dum putrent, aëra cœli vitient, atque morbidam vim *typhi* generent.

CLII. In carceribus, ergastulis ; in officinis, in quibus merces manu fiunt ; et in omnibus ædificiis, ubi magna vis hominum congregatur ; providendum est, ne foricæ, quibus communis omnium usus est, adeò ædibus contiguæ sint, ut ex iis mephitim homines cum spiritu hauriant. Quinetiam, utilissimum erit, de fluvio in eas derivare rivulum, quo fæces, primùm ut alvo dejectæ, devolvantur.

CLIII. Porrò, quò arceatur *typhus*, oportet omnes, quorum referat, quamprimum delere tabum, si quod ædificiis supellectilive jam inhæreat.

CLIV.

CLIV. Ad infecta ædificia purificanda necessarium est, in iis ignes accendere ; etiamque fenestras aperire et fores, ut, per complures hebdomadas, perflatum accipiant. Tabulata quoque vehementer detergenda sunt et lavanda, primùm aquâ frigidâ, dein fervidâ cum aceto commixtâ, aut *acido sulphurico*, aut acido aquæ piceæ. Parietes simul et laquearia bene dealbanda sunt calce vivâ aquâ saturatâ, et etiamnum calente.

CLV. Perutile itidem est, inquinata ædificia fumigare vaporibus ex incenso *tabaco*, sulphure, arsenico, carbone, aliisque quæ naturâ flammæ opportuna sunt.

CLVI. Omnium verò vaporum, quibus extinguatur tabum, quod ædificia inquinaverit, longè efficacissimus, uti periculo compertus est CARMICHAEL SMYTHIUS, is est, quem æquales partes *acidi sulphurici*, et *nitratis potassæ* purificati, idoneo calori expositæ, exhalant. Hic enim non solùm tabum extinguen-

di

di potens est ; sed etiam gratissimus est efficacissimusque, quo purificetur aër cubiculorum, quibus ægri lecto tenentur, et sic caveatur, ne contagione vulgetur morbus.

CLVII. Vestimenta, lecti stragula, aliaque quæcunque supellex, quæ in cubiculis, sic suffitis vaporibus penetrantibus, sunt, plerumque tabificâ vi purgabuntur, quæ iis inhæreat. Veruntamen, ne quæ tabis reliquiæ maneant, utilissimum erit, primùm macerare et lavare aquâ frigidâ aut lixivio ; dein fervidissimâ aquâ, per idoneam machinam, sic ut lavatrix non solùm, magna ex parte, ab inquinata contrectando abstineat, sed etiam exhalationes caveat, quæ hinc oriantur.

CLVIII. Quinetiam, quoniam, uti periculo compertum est, morbida vis febrium, ex toto, deletur minore vi caloris, quàm quæ possit vestimenta, sive lanea, sive bombycina, sive gossipina, sive lintea, lædere ; hujusmodi vestimenta, per aliquot horas, in clibano seu hypocausto,

pocausto, aliove quolibet loco sat̄s calefacto, includere, efficacissimum erit, ad tabum, quod in his lateat, delendum.

CLIX. Utensilia domestica, quotquot ex metallis, aut ligno, aut terrâ figlinâ constant, non calori modò subjicienda sunt, suffitioni, et aëri ambienti, verùm acriter quoque lavanda et detergenda, priusquam in humanos usus adhibeantur.

CLX. Sæpe accidit, ut pestilentes in BRITANNIAM febres navibus illinc reducibus, ubi hæ grassabantur, importatæ sint. Quotiescunque igitur regressæ patriam naves continent socios navales, qui pestilentiis implicantur; magistratum est interdicerè, ne res mercatorias, quibus onerentur, priùs terrâ exponant, quàm quadragenos dies in anchoris procul à terra steterint. Simul prohibendum est, ne navalibus sociis ulla priùs contagio et societas sint cum terrestribus, quàm summam illi operam dederint, ne pestilentia, qua la-

borent,

borent, contagione, et ministeriis in vicem, vulgetur.

CLXI. Ne, denique, evagetur *typhus*, cavendum est iis, quorum est in locis gravibus manere, et infectis ministrare jussa medicorum, ne tabo se exponant inquinandos.

CLXII. Quibus officium est, in pestilentibus locis manere, at quibus nulla contagio est et societas cum infectis morbo corporibus, ii sese tutent à tabo, modò assiduè caveant, ne vel hæc ipsa contingant, vel res, quæ horum contactu inquinatæ sint. Neque, profectò, opus est, ut ab his se longinquè contineant. Eos enim satis tutabit parva distantia, dummodo auræ ex infectis corporibus non hinc secum tabum afferant (Q).

CLXIII. Quinetiam, certiores eos facere oportet, qui seu amore, seu necessitate, *typho* implicitorum lecto assident, nonnulla ex tabis potentissimis

---

(Q) Vid. CULLEN. *First Lines*.



potentissimis prorsùs innocua esse; nisi hominum corpora apta sint, quæ ab iis detrimentum capiant, vel multa concurrant ad eorum pestilitatem augendam; quibus vitatis, nullus ex iis morbus nascitur.

CLXIV. Hominum corpora tunc maximè pestilentibus morbis obnoxia sunt, ubi multùm debilitata sunt inopiâ cibi, vel cibo parco atque parùm nutriente; poculorum intemperantiâ, cui, ut primùm evanuit stupor, quem concitaverit, magna succedit debilitas; concubitu frequentiore, quàm ut ferre possint vires; lucubratione; fatigatione; magnisque quibuslibet profluviis (R).

CLXV. Causæ, quæ concurrunt ad malignam vim tabi augendam, unde oritur *typhus*, sunt frigus cum humore, timor, et plena mimis diæta.

CLXVI. Assiduè igitur cavendum est, ne à frigore et humore detrimentum capiatur.

Quòd

---

(R) Vid. CULLEN. *First Lines*.

Quòd si homines frigus et humorem semper cavere nequeunt, debent, quò minore hinc malo afficiantur, semetipsos quàm maximè roborare modicâ cùm corporis tum animi exercitatione; temperato stimulantium medicamentorum usu; atque vestitu calido.

CLXVII. Ne quis timore langueat, ideoque in *typhum* fiat proclivior, animus quàm maximè confirmandus est et erigendus. Hunc in finem, oportet medicos edicere populo, qua optimè curaturâ quaque medicinâ se à tabo tudent, atque prædicere, morbum naturâ haudquaquam insanabilem esse. Eodem consilio, magistratus debent edicere, ut plebs artibus et negotiis, quæ exercere solebant, tam manus occupent, quàm animos; simulque statuere, ne corpora eorum, quos morbida vis hujus febris exanimaverit, campanis funebribus flebilique pompâ efferantur, neu quis vivis amicos, qui jam hoc periverint morbo, evulget.

Quòd

L

CLXVIII.

CLXVIII. Carnes, quippe cùm, si quotidie devorentur, hominum corpora ad irritandum faciliora reddant, ideoque aptiora, quæ tabifica quælibet vis contagione labefaciat, parcè assumendæ sunt. Opportuniora itidem pestilentiis corpora facit cruditas, quam movet seu nimietas ciborum, sive gravitas (s). Grasantibus igitur pestilentiis, mortales debent cibos adhibere, qui leves sunt, neque eorum corpora reddunt irritationi et tabo opportuna.

CLXIX. Ad hoc, verisimile est, hominum corpora adeò firmari posse, ut tabo, quo *typhus* oritur, impunè objiciantur. Hunc in finem, conducunt, modicus vini usus; cerevisia meracior, aut meracissima; liquores distillati; exercitatio quotidiana, at modica, qualis corpora neque calefaciat, neque fatiget; frigidarium; medicamenta roborantia, veluti  
gentiana,

---

(s) Vid. CULLEN. *First Lines*.

gentiana, *colomba*, *cinchonæ* cortex, ferrum atque ex eo præparata, et *acidum sulphuricum*.

CLXX. Huc accedat, quòd, quum diæta, sive nimis parca, sive nimis plena, hominum corpora reddat apta, quæ in *typhum* incidant, diætâ mediocri ab iis, qui student hanc febrem vitare, vivendum est. Interea autem uni hominum cuique liceat sibi usu eorum indulgere, quæ ei efficacissima videantur, quibus hæc febris arceatur; sive amuleta sint, sive medicamenta quorum frequens usus nihil noceat.

CLXXI. Quoniam neque totum cælum, neque multa pars ejus, tabo, unde oritur *typhus*, inquinatur, ignes, hîc illic urbium ubi grassatur, accendere, suffimentisve quibuslibet circumfluum aëra purificare, nihil omnino ad homines à morbo tutandos valet, imò etiam nonnunquam nocet (τ).

CLXXII.

---

(τ) Vid. CULLEN. *First Lines*.

CLXXII. Denique, si, ut suprâ conclusimus, tabes, *typhi* genitrix, corpus, viâ stomachi, introëat, utilissimum erit medicis, qui hac pestilentîâ ægros visitant, itemque iis, qui ægris medicorum jussa ministrant, oribus manducare *tabacum*, *allium*, *acriave* quælibet alia, quæ non solùm salivam citent, sed etiam adeò ingratham faciant, ut non possint, quin subinde exspuant. Ne plura, quò sese à *typho* tutentur, debent, cùm medici, tum ii qui ægris assident, manus identidem lavare, cæterasque itidem partes quæ non vestiuntur, *aceto aromatico* (v), vel aquâ commixtâ cum aceto ; et, per omnia, munditiæ esse quàm studiosissimi.

D E

---

(v) Vid. Hujus formulam in *Pharmacop. Edinens.*

DE

## CURATIONE.

CLXXIII. *MUNDITIA*.—Oportet medicum, qui à *typho* ægrotis adhibetur, dare summam operam, ut non hi modò ipsi, sed contigua quoque omnia, quàm mundissimi conserventur.

CLXXIV. Hoc consilio, assidentibus debet præcipere, ut ægrorum corpora mundis industriis frequenter ornent, et mundis lectos componant vestibus; ut fæces, sive sciente ægro sive nesciente, dejectæ, quamprimum submoveantur; ut cubicula, ubi ægri lectis affigantur, ampla sint, et gratum salubremque, per  
fenestras

fenestras apertas, aliasve idoneas aperturas, perflatum assiduè habeant.

CLXXV. Aër salubris, in cubicula perpetuò intromissus, non solùm ægris pergratus est et perutilis, verùm etiam, ex parte saltem, obstat, quò minùs assidentes curantesque contagione labefaciant. Quo enim diffusius tabum est, atque quo dilutius; eo minùs ad *typhum* concitandum pollet.

CLXXVI. Tabulata, porrò, et parietes cubiculorum, ubi ægri lectis tenentur, aspergi debent aut aceto, aut *aceto aromatico*; atque lecti et tabulata, odoriferis herbis.

CLXXVII. QUIES.—Quum *typho* impliciti vel levissimâ exercitatione fatigentur, neque rarò animo linquntur; cavendum est, ut sint quieti et tranquilli, neque ullâ utantur exercitatione, ad quam propriorum musculorum motus requirantur.

CLXXVIII. ANIMI ELATIO.—Quum *typho* impliciti ferè semper meticulosi sint et demissi,

missi, atque angantur meditatione cogitationeque futurorum malorum; utilissimum erit, quò eorum animi abstrahantur ab acerbis cogitationibus, et revocentur ad contemplandam futuram valetudinem, omnia tristia excubiculis submovere; atque, dum iis introëundi copia negatur, qui flebili voce atque ploratu metum mortis injiciant, assidentes curantesque fronte tranquillâ esse et serenâ, neque sermunculis dicere, nisi quæ spe salutis consolentur, animosque tranquillent.

CLXXIX. Ipsis verò ægris præcipiendum à medico est, ut loquendo itemque ridendo, abstineant; quippe cùm, musculos nimis exercendo, hujusmodi motus virium reliquias dissipent.

CLXXX. *IRRITATIONIS VITATIO.*—Lux, sonitus, calor, aliaque quæ irritant et stimulant, quàm maximè vitanda sunt. Etsi enim hæc stimulantia, nisi immodica, sana corpora parùm fatigant,



fatigant, sed delectant potiùs ; magnam tamen ægris molestiam afferunt, haud rarò etiam gravem dolorem, propter nimiam irritabilitatem, quam debilitas effecit.

CLXXXI. *VOMITIO*.—Quum vires naturæ medicatrices, haud ita pridem à medicis plus anili quidem superstitione prædicatæ, ad sanitatem reducendam rariùs opinione valeant ; iis medici, ad auxilium *typho* implicitorum advocati, parùm confidere debent, sed efficacissimis medicamentis conari morbum ad sanitatem perducere.

CLXXXII. Hunc in finem, vomitoria utilissima sunt. Namque invadentem *typhum* vomitio haud rarò fugat, totum corpus, at maximè nervos, agitando, itemque salutariter incitando vires vitales sic, ut corpore tabum depellant.

CLXXXIII. Siquando, ad ineuntem *typhum* in fugam vertendum, vomitus non valet, prodest tamen, stomachum et summum intestinum

num sordibus exonerando ; quo fit, ut medicamenta tersum stomachum optatiùs afficiant, et, per eum, cæterum corpus. Quinetiam, vomitio, sanguinem in corpus æqualiter omne distribuendo, spasmus solvit, quo arteriæ exhalantes, in summa cute dispersæ, afficiuntur ; atque sic hujus exhalationem redintegrat, itemque naturalem totius corporis calorem.

CLXXXIV. Quanquam, contra *typhum* incipientem, vomitoria medicamenta multùm sanè pollent, tamen, post febrem confirmatam, sunt ancipita auxilia. Nunquam, uti putat GREGORIUS, debent, post diem quartum quintumve, assumi, quia tunc febrem interrumpere nequeunt. Periculum, porrò, est, ne ex debilitate, quam efficiunt, magnum æger accipiat detrimentum (R).

M

CLXXXV.

---

(R) Aud. GREGOR. *Prælect. in Medicin. Practic.*  
in ACAD. EDIN.

CLXXXV. Alia ab aliis medicis præscripta sunt medicamenta, quæ vomitum concitarent. Nostris verò temporibus, præcipua sunt, *ipe-  
cacuana* ac *tartris potassæ stibiatus*.

CLXXXVI. *Ipecacuana* plerumque ad spem respondet, modò ritè adhibeatur. Ei, enim-  
vero, primæ conceduntur, quando ægrotus debilis est, aut admodum languidus. Ne fallat, satîs magnâ semper copiâ assumenda est; atque, dum agit, affatim bibenda diluentia quælibet mitiora, quæ non solùm stomachum detergeant, sed etiam faciant, ut arteriæ sanguinem in summam cutem æqualiter omnem distribuant.

CLXXXVII. Compertum tamen est à medicis haud paucis præclaris, *tartritum potassæ stibiatum*, ad febrem discutiendam, efficacissimum medicamentum esse. Optimè assumitur aquâ solutus, atque exiguis dosibus subinde repetitis, donicum vomitum moverit.

CLXXXVIII.

CLXXXVIII. *Pulvis* enimvero *stibiatus*, aliaque quædam ex stibio præparata, plùs, uti videtur, ad febrem discutiendam, valent, quàm *tartris potassæ stibiatus*. Hic verò, quum certius respondeat, et multo sanè commodiùs adhibeatur, illis anteponeendus est.

CLXXXIX. Vomitoria, qualiacunque anteferantur, optimè, uti mihi videtur, per accessiones assumuntur, vel, quod satius est, his instantibus. In continuis quidem febribus, accessiones non semper observabiles sunt: verùm est tamen, quamobrem putemus, unam meridiano quotidie tempore, vel paulò post, accedere, atque alteram vespere; ideoque his temporibus, præ cæteris, adhibenda medicamenta, quæ vomitum moveant (s).

cxc. Solebant, haud ita pridem, medici, et etiamnum solent nonnulli, dare assumenda  
febrientibus

---

(s) Vid. CULLEN. *First Lines*.

febrientibus medicamenta vomitoria eâ duntaxat copiâ, quæ nauseam cieat. Nauseosa verò rarissimè proficiunt: imò, haud rarò, nocent, corpus infirmando, potissimùm ventriculum.

CXCI. *ALVI EXINANITIO.*—Per totum *typhi* cursum, alvus, quoties opus, leniter emollienda est laxantibus, aut devoratis in stomachum, aut in alvum, ex parte inferiore, infusis. Nihil enim tantùm ad febrem alendam atque exasperandam valet, quantùm alvi duritia et sordes.

CXCII. Cathartica acriora, initio adversæ valetudinis, vel paulò post, *typhum*, uti dicunt nonnulli scriptores, interdum prorsùs abigunt; partim forsitan sordibus alvum liberando, partim *generis nervosi* habitum sic emendando, ut seriem disrumpant morbidorum, quæ *typhum* constituunt. Hujusmodi autem medicamenta semper, ut nihil pejus dicam, ancipita sunt. Non modò enim alvum,

vum, haud rarò, vehementiùs movent, quàm pro eorum copia assumpta, verùm vires quoque dissipant, ultra quòd *typhi* ratio pati potest.

CXCIII. Quum ita sit, alvus, quoties dura, mitissimis laxantibus emollienda est: cujus generis sunt, fructus maturi, *acidulus tartris potassæ*, *tartris sodæ*, linctus è sena, oleum cicinum, hisque consimilia; aut lotiones emollientes in alvum subtèr datae.

CXCIV. SUDATIO.—Quoniam *typhus* haud rarò discutitur modico alvi profluvio, vel leni sudore, neque illud, si acciderit, neque hunc, inhibere tutum est. Quoties autem hæ exinationes nimiae sunt, atque, vires dissipando, arterias submitunt, sine mora sisti debent.

CXCV. Siquando sudor optato parcior sit, aut in una tantùm parte oriatur, haudquamquam medicamentis calefacientibus aut stimulantibus citandus est; sed potiùs medicamentis,

mentis, ex iis quæ refrigerant. Hujus generis sunt, *acetis ammoniacæ, citrasve potassæ*, aquâ solutus; aut aqua ipsa dulcis, quam jucundè acidulam reddiderit vel acidum ex terrâ natis expressum, vel acidum ex iisdem, per fermentationem, paratum.

CXCVI. *SANGUINIS DETRACTIO.*—Quum *typhus* corpus, mirum in modum, debilitet, atque hoc morbo ægri, quotquot tollantur, viribus emortuis pereant; sanguinem mittere, eos jugulare est, potiùs quàm periculo eripere, ideoque nunquam experiendum, vel saltem quàm rarissimè cautissimèque.

CXCVII. *EXULCERATIO.*—Quoniam inflammationes cerebri, pulmonum, aliorumve viscerum, impediunt, quò minùs idonea, ad *typhum* discutiendum, medicamenta remediaque adhibeantur, eas quamprimum digerere medicos oportet. Hunc in finem, haud insolitum est, impositis hirudinibus, scarificatione-ve adhibitâ, sanguinem ex partibus inflammationi

mationi quàm proximis mittere. Ad verò digerendam viscerum inflammationem, nullum efficacius remedium est, quàm partium externarum his proximarum exulceratio.

cxcviii. Profecto autem *typho*, exulceratoria medicamenta incerta, imò etiam dubia, sunt. Quippe tunc solidæ partes, præ vitalitate languente et ferme extincta, stimulationem, quam movent exulceratoria, pati nequeunt, et profectò haud rarò gangrænâ afficiuntur.

cxcix. Quoties igitur, hoc tempore, viscerum ulla inflammationem concipiunt, partes quàm proximæ, nostrâ opinione, rubefaciendæ sunt potiùs, quàm exulcerandæ. Hoc consilio, his imponenda sunt contrita sinapis semina, quæ, ut levius præsidium sunt, quàm exulceratoria, ita minus periculum afferunt, rariùsque movent gangrænam.

cc. Quanquam, per totum *typhi* cursum, medicorum haud pauci ægros exulcerant, quò,



quò, uti dicunt, excitent languentes vitæ vires; tamen, uti GREGORIO videtur, exulceratio, hunc in finem, parùm potest, et nunquam adhibenda est, nisi nobiles quædam partes inflammatione capiantur.

CCI. *DIÆTA.*—Quum, uti periculo GULIELMUS HUNTERUS, medicus clarissimus, alique comperti sunt, carnes concoctu faciliores sint, quàm esculenta ex iis, quæ à terra per stirpes aluntur, etiamque corpus humanum multo magis nutriant; ideo jusculo coacto ex iis, vel aquâ decoctâ ex iisdem, *typho* implicitis permittatur, ut famem expleant. Ipas autem carnes stomachus, præ infirmitate, neque appetit, neque assumptas potest concoquere.

CCII. Quòd si vel juscula, vel aqua decocta ex carnibus, stomacho aliena sunt, permittendum est, ut ægri alimentum ex terrâ natis accipiant, quæ plurimum præbent nutrimenti. Hujus generis sunt panis triticeus, in  
aqua

aqua coctus, ptisana, hisque assimilia; quibus, modò arteriæ se submiserint, pauxillum vini ac condimenti alicujus addendum est.

cciii. Siquando sanguis in putredinem vergit, aut vitium capit, ægri debent magnam vim devorare maturorum fructuum acescentium, veluti tostorum pomorum, uvarum, malorum aureorum, malorum citreorum, malorum Epiroticorum, malorum Persicorum. Ad emendandum quoque malum sanguinis habitum, nonnihil pollebunt, jusculum coactum ex *ribibus*; striblitæ ex polline et fructibus confectæ; fructus saccharo conditivi; et alia, si qua, similia.

cciv. Esculenta, qualiacunque sint, assumi debent exiguis portionibus, exiguisque temporibus interpositis; vel, quod idem est, quoties ægri appetunt, atque eâ copiâ, ad quam concoquendam valent stomachi.

ccv. Ægris permittatur, ut, pro potu communi, bibant aquam, in quam fervidam ma-

cerata *thea* sit; lac, ejusve serum; aquam, quam jucundè acidulam reddiderit malorum citreorum aureorumve succus; vinorum sera; vinum aquâ ex pomis decoctâ temperatum; aceti serum; edentulum ex pomis vinum, vel ex pyris; cerevisia tenuis. Quòd si vires multùm languescunt, his potulentis anteferenda sunt, cerevisia meracula, cerevisia meracior LONDINIENSIS, vinum saccharo et aquâ temperatum, *alcohol* aquâ dilutum, et, si qua, similia.

CCVI. Quousque tabum vim morbidam pòst exerceat, quàm corpus penetraverit, et quemadmodum in corpore febrem moveat, exponere non possumus. Tam recondita explicando tempus terere, parùm ad rem nostram esset; cùm præsertim, vel his cognitis, nihilo clariùs appareret, qua ratione febris posset curari, nisi tibi simul naturam adeò clarè perspiceremus, ut sciremus, quibus medicamentis remediisve innocua redderetur.

CCVII. Etsi verò ignoramus, qua naturâ tabum sit, tamen plùs satìs constat, sedandi vi pollere, qua corpora, quæ penetraverit, semper, mirum in modum, debilitat. Hoc cognito, si febrem abigere nequeamus, vomitum, aut alvum, aut sudorem opportunè movendo, vel si non advocati simus, donec usque eò increverit, ut vires jam labantur et fugiant; iis potissimùm medicamentis et remediis pugnandum est, quæ corpus roborant et incitant.

CCVIII. *ROBORANTIUM*—ad genus pertinent omnia, quæ, medicorum linguâ, *solidis vivis* firmitatem impertiunt et augent. Horum alia summæ cuti applicantur; alia adhibentur in ventriculum. De utrisque, ordine, pauca dicenda sunt.

CCIX. *Externa*.—Roborantium, quæ corpori extrinsecùs admoventur, efficacissima sunt frigidus aër et purus, atque frigidarium.

CCX. *Aër*.—De utilitate, quam *typho* laborantes, ex aëre frigido et salubri, in cubicula,

ubi

ubi lecto tenentur, intromisso, percipiant, tam  
 fusè suprâ diximus, ut plura hîc dicere ferè  
 supervacaneum videatur. Hoc tantùm super-  
 dicere nobis in animo est, oportere ut ape-  
 riantur fenestræ; extinguantur ignes; quàm  
 paucissimi ægris assideant, et medicorum jussa  
 ministrent; quicquid supellectilis inutile, se-  
 moveatur; atque vestes leves sint.

CCXI. *Frigidarium.* — Invalidas corporis  
 partes aquâ frigidâ lavare, quò firmarentur,  
 solebant veteres, cùm GRÆCI tum ROMANI.  
 Recentiores verò primi periculo comperti  
 sunt, utilissimum esse, tota corpora eorum,  
 qui, malignâ vi febris correpti, plurimùm de-  
 bilitantur, aquâ frigidâ lavari.

CCXII. Corpora pestilentibus febribus im-  
 plicitorum lavandi mos, URATISLAVIÆ, SILE-  
 SIÆ INFERIORIS capitis, primùm ortus est.  
 Dein in vicinos populos sensim permanavit.  
 A BRITANNIS tandem ascitus est; atque, nos-  
 trâ ætate, apud eos, ferè ubique, invalet.

ccxiii. Aquâ frigidâ lavari vel perfundi, *typho* laborantibus plurimùm prodest. Namque vires, mirum in modum, reficit et recreat; arteriarum pulsus tardiores at validiores reddit; et, ne multis, morbidam vim hujus pestilentiaë peroptatò sedat ac mitigat. Quinetiam, ad mentem, quoties hac febre desipit, ad sanitatem reducendam nihil tam efficax est, quàm caput ad cutem tonsum aquâ frigidâ lavare, vel hac mixtâ cum aceto.

ccxiv. Verùm, tametsi constet inter omnes ferè medicos, quantùm proficiat aquæ frigidæ lavatio, tamen nondum inter eos convenit, quo morbi tempore potissimùm adhibenda sit.

ccxv. Contendit HOPEUS, multi jam nominis, optimum esse, febre implicitos aquâ frigidâ lavari aut perfundi, incursante morbo, vel paulò post incursionem. Quo enim diutius processit morbus, eo minùs, putat, opitulatur lavatio aut perfusio; donec nihil demum

mum amplius, quàm mala quædam paulisper mitiget. Quinimo censet, hoc remedium neque utile esse neque tutum, dum percurrente corpus frigore inhorret æger, nedum, postquam febris diu jam continuavit (τ).

CCXVI. Contra ea, certiores nos facit HOWARDUS, benevolus ante alios, atque miserorum mala levandi studiosus, corpora *typho* oppressorum, ullo morbi tempore, aquâ frigidâ lavare aut perfundere, utilissimum esse, et insuper efficacissimum remedium. “ I might mention,” inquit, “ as an evidence of the advantage of baths in prisons, that I have known instances, where persons supposed to be dead of the gaol-fever, and brought out for burial, on being washed with cold water, have shewn signs of life, and soon after recovered (υ).”

---

(τ) Aud. HOP. *Clinical Lectures in ACAD. EDIN.* anno M,DCC,XCIX.

(υ) Vid. HOWARD. *State of Prisons, &c.* p. 23.

cccvii. Quò æger ab aqua frigida maximum auxilium accipiat, oportet assidentes cum in hanc immergere, vel ei eandem affundere; vel, si alterutrum facere incommodum sit, per spongiam aut lanea aquâ frigidâ madafacta, vel aquâ mixtâ cum aceto, totum corpus lavare.

cccviii. *Interna.*—Roborantium, quæ in ventriculum assumuntur, ut vigorem sustineant vel refoveant, multa ad intermittentes febres curandas adhibentur. Nondum verò convenit inter medicos, quot hujus generis *typho* implicitis opitulentur. Nostrâ opinione, *corticis cinchonæ* atque *acido sulphurico* primæ concedendæ sunt: nulla enim, quantum periculo compertum est, æquè, atque hæc, polent.

cccix. Quantum, cum in febribus, tum in aliis morbis, quotquot mortales magnopere debilitent, possit *cinchonæ cortex*, aded inter medicos nostræ ætatis constat, ut haud videatur

tur



tur necessarium, de miris ejus virtutibus, multa, hìc loci, dicere. Veruntamen haudquaquam alienum erit memorare, exiguis temporibus interpositis, assumendum esse, atque tantâ copiâ, quantam ferre possit stomachus; et ferè nunquam ad spem respondere, nisi ipse, in pulverem exiguissimum contritus, parcâ haud manu adhibeatur.

ccxx. Si, quod interdum est, pulvis corticis sit stomacho alienus, oportet aliud ex eo præparatum experiri, atque aliud, donec inveniatur, quod stomacho idoneum sit.

ccxxi. Sunt medici, quibus placet *contrayervam* aut *serpentariam*, unâ cum *cinchonæ cortice*, præscribere, ex opinione, hunc plùs pollere cum illis conjunctum, quàm per se.

ccxxii. Fortasse verum est, quod hi medici opinantur: quippe, quantum videmus, nihil est, quapropter *cinchonæ cortex* unâ cum illis medicamentis non adhibeatur. Imò, adjecta hujusmodi auxilia, aliave quæ itidem le-

niter calefaciunt, multùm proficiant; quippe cùm non stomachum modò plus corticis ferendi patientem reddant, sed arterias etiam summæ cutis leniter stimulent, atque optatum salutaremque moveant sudorem.

CCXXIII. Addere vix opus est, *cinchonæ cortici*, modò alvum citet, adjiciendum esse opium.

CCXXIV. *Acidum sulphuricum*,—utpote quod corpus humanum refrigeret et roboret, sæpe cum fructu adhibetur, aut cum potulentis commixtum, aut conjunctum, cum *cinchonæ cortice*.

CCXXV. *INCITANTIA*.—Alterum genus medicamentorum, quibus debilitati obstari potest, est eorum, quæ cor arteriasque, itemque cerebrum et nervos, incitandi vim possident. Medicamenta, tali vi prædita, nominata *STIMULANTIA* à medicis sunt.

CCXXVI. Stimulantia seu incitantia, quamvis musculosas fibras nonnihil firment, à ro-

borantibus tamen differunt, quippe cùm vehementiùs instigent cor et arterias.

CCXXVII. Stimulantium genere plurima sanè medicamenta comprehenduntur. Non verò mihi consilium est hæc omnia persequi; sed tantùm de iis pauca dicere, quæ contra *typhum* efficacia periculo comperta sunt. Hæc autem sunt, vinum, *moschus*, *ammonia præparata*, *camphora*, *æther sulphuricus*, opium, atque *hyperoxygenatus murias potassæ*.

CCXXVIII. *Vinum*—efficacissimum esse excitantium medicamentorum, quibus *typho* implicitis subveniatur, medici uno ore consentiunt. Languentibus cordi et arteriis novam et salutarem vim addit: lenem per corpus æqualiter omne sudorem movet: animum demissum exhilarat: ne putrescant humores, obstat: atque delirium aut mitigat, aut, ex toto, sanat.

CCXXIX. Quinetiam, vinum gustatu perjudicandum est, atque partes ejus stimulantes

adeò

adeò diluuntur, ut modicus usus cerebrum et nervos non stupefaciat. Quum verò *typho* languentibus parùm opituletur vinum, nisi affatim bibatur, iis modici calices subinde porrigendi sunt, interpositis brevioribus longioribusve temporibus, prout major vis morbi minorve urgeat.

CCXXX. Vina, quæ *typho* fatiscientibus optimè conveniunt, sunt, MADERENSE, CANARIENSE, HISPALIENSE, atque rubrum LUSITANUM. Ex his proximum, quum modicè astringitorium sit, corpus non solùm stimulat, sed etiam roborat; ideoque *typho* oppressis plùs opitulatur, quàm vina alba.

CCXXXI. Si ægroti non habent, unde sibi vinum parent, ejus vice substituenda est cerevisia meracior, aut cerevisia meracissima LONDINIENSIS, aut liquores distillati aquâ diluti. Hæc autem haudquaquam æquè, ac vina, pollent.

CCXXXII.

CCXXXII. *Moschus*,—utpote qui spasmum solvat, et languentes vires jucundè stimulet, *typho* gravatis haud parùm opitulatur. Sed, superquam quòd pluris constat, quàm ut ab omnibus possit emi, parùm pollet, nisi magnâ copiâ assumatur.

CCXXXIII. *Ammonia præparata*,—quæ magnâ sanè vi pollet incitandi, *typho* torpentibus optatum haud rarò levamentum affert. Stomacho plerumque idonea est, neque rarò lenem elicit sudorem. Hujus salis, et *confectionis aromaticæ*, et alicujus aquarum aromaticarum, misturam facere solebat PRINGELIUS, cui multùm confidebat, quamque *typho* labantibus frequenter assumendam curabat. Hanc misturam sæpe ad spem respondere, egomet ipse, ni fallor, compertus sum.

CCXXXIV. *Camphoram*—cùm stimulandi, tum spasmum solvendi, facultate pollere, omnes, quantum scio, medici concedunt. Imò etiam, non desunt, qui, peculiariter contra  
putredinem

putredinem efficacem esse, putent; ideoque potissimum iis esse præsidium, quorum sanguis, ex morbida vi pestilentiarum, aut vitium ceperit, aut propè sit ut vitietur.

CCXXXV. Mereat, necne, omnes laudes, quibus nonnulli eam efferunt, confidenter affirmare non possum. Is tamen sum, qui opiner fieri posse, ut exiguis dosibus, atque saccharo aut glutinosis materiis commixta, quæ hebetent acrem mordentemque vim olei, quod ei inest, atque stomacho reddit alienam, *typho* languentibus nonnihil opituletur.

CCXXXVI. Certiores nos facit HOFFMANNUS, hoc medicamentum haud rarò delirium sanare, itemque tranquillum conciliare somnum, quem papaverata dare nequiverunt.

CCXXXVII. *Æther sulphuricus*—majorem vim stimulandi possidet, quàm ullum medicamentorum, quæ memoravimus. Ad spasmus, porrò, solvendum peculiariter efficax est. Quapropter, *typho* implicitis plurimùm opitulatur.

opitulatur. Superquam enim quòd languentes vitæ vires incitat ac fovet, spasmum extremarum ubique corporis arteriarum laxat, neque rarò febrem, ex toto, discutit.

CCXXXVIII. *Opium—typho* prostratis potentissimum persæpe auxilium est. Quippe, ante omnia ferè medicamenta, pollet ad mitigandum et sanandum delirium; somnum conciliandum; corpus minùs aptum, quod vel levissimâ stimulatione incitetur, reddendum; languidum redundantemve stomachum cibandum; et sudorem, denique, et alvi profluvium inhibendum, quibus, absque esset hoc, ægrorum haud rarò vires dissipatæ emorerentur.

CCXXXIX. *Opium* eodem ferè modo corpus afficit, ac vinum. Pulsus enim arteriarum, antea celeres, imbecillos, atque parvos, reddit tardiores atque validiores. Ne multa, stimulantium, quibus incitantur mortalium corpora, longè potissimum opium est. Ita esse, ex eo apparet; quòd, quando cætera incitantia, quibus

bus conservatur vita, diutiùs incitandi impotentia evadunt, opium, haud rarò, languentes vitæ igniculos exsuscitatur, atque imminentem avertit mortem.

CCXL. *Hyperoxygenatus murias potassæ*,—ad quantitatem quatuor quinqueve granorum aquâ solutorum, ter quotidie quaterve, assumptus, *typho* laborantibus, uti à GARNETTO, medico claro in primis, accipimus, plurimùm semper proficit. Quippe urinam citat; neque rarò, semel bisve indies, alvum: linguam purificat: cutis calorem sedat: atque, paucis diebus, febrem paulatim discutit (u).

CCXLI. Quærat aliquis, quemadmodum incitantia, quæ memoravimus, optimè adhibeantur. Ad quæsitum respondemus, quum, præ mira corporum debilitate, *typho* impliciti vehementis stimulationis impatientes sint, parvas

---

(u) Vid. DUNCAN. *Annals of Medicine*, in ann. M,DCC,XCVIII. vol. iii. p. 445.



parvas initio doses, exiguis interjectis interval-  
lis, assumendas esse ; dein, simul ut vires pau-  
lulùm revaluerint, atque corpus incitatu dif-  
ficilius evaserit, permittendum, ut doses ma-  
jores, at longioribus interpositis temporibus,  
adhibeantur.

CCXLII. Copia stimulantium medicamen-  
torum sic sensim augenda est, donicum sto-  
machus usque eò firmatus sit, ut appetat le-  
ves cibos, et assumptos diducere possit.

CCXLIII. CIBI.—Quum ex cibis præcipuè  
formetur sanguis, qui sanè maximè idoneus  
stimulus est, quo cor et arteriæ, itemque cere-  
brum et nervi, incitentur ; *typho* ægris, primo  
quoque tempore, permittendum est, ut eos, et  
stimulantia quorum mentionem fecimus, al-  
ternis vicibus, assumant.

CCXLIV. Initio, cibi, haud aliter atque in-  
citantia medicamenta, parcè adhibendi sunt ;  
dein, prout redintegrentur vires, copiosius.  
Qua verò ratione augentur cibi, eâdem dedu-  
cenda

cenda stimulantia medicamenta sunt. Stomacho tandem, cum cætero corpore, confirmato, hæc prorsùs intermittenda sunt: quippe duntaxat requiruntur, ubi solitis esculentis potulentisque vita nequit ali et conservari; atque fastidiuntur, ut, viribus collectis, confirmatur corpus, et stomachus, sanitate receptâ, victum, uti solebat, appetit et concoquit.

CCXLV. Medicorum haud pauci dolent, incitantia medicamenta, quibus *typho* labascensibus subveniunt, non optatò respondere. Neque, profectò, hoc mirum est; cùm præsertim, nimiâ initio copiâ datâ, fatiscentes vires, quibus pepercerit morbus, defatigent, atque, ægris in summum discrimen inconsideratè adductis, demum, nisi opportunè succurrat prudentior medicinæ, languidam vitæ flammam prorsùs exstinguant.

CCXLVI. *PUTREDINI OBSTANTIA.*—Ne, in extremis vasis, vitium capiat sanguis, obstatur

efficacissimè medicamentis, ex iis quæ, ubique corporis, solidas partes salutariter incitant; et sic impediunt, quò minùs sanguis, humoresque hinc secreti, vergant in putredinem. His, forsitan, accedat cerevisiæ flos, seu spuma.

CCXLVII. *Roborantia et stimulantia*,—hunc in finem, longè potentissima sunt. Sed, quum de his medicamentis fusè dixerimus, non opus est, hìc loci, plura dicere.

CCXLVIII. *Cerevisiæ flos*,—utì nuper compertum est, potentissimè obstat, ne putrescant humores. Tantum hujus floris, quantum contineat cochleare magnum, cum aqua, quanta sufficiat, aliove quolibet idoneo humore, commixtum, singulis binis ternisve horis, vel etiam brevioribus interjectis temporibus, si res postulent, adhibendum est.

CCXLIX. Utì in alvo, præ cæteris corporis partibus, contentæ materiæ putrescunt, ita cerevisiæ spuma, simul ut in stomachum ac-

cepta

cepta sit, in hoc contentis *gas acidum carbonicum* impertiendo obstat, quò minùs in putredinem vergant.

CCL. Hic loci, à re nostra haud alienum erit, paucis dicere, quemadmodum curanda vel levanda sint ea mala, quæ *typho* minùs propria sunt, verùm sæpe tamen ægros vehementer urgent. Hujus generis sunt inflammationes cerebri, viscerumve thoracis et abdominis; nausea; vomitus; alvi profluvium; singultus nervorum; singultus septi transversi.

CCLI. Quum, qua curatione discutiantur inflammationes cerebri et viscerum, suprà explicaverimus, non opus est, ut, de ea re, plura hìc dicamus. Satis igitur erit breviter exponere, quemadmodum cætera mala, quæ modò memoravimus, possint sanari vel mitigari.

CCLII. *NAUSEA ATQUE VOMITUS*—plerumque facilè sedantur quibusdam ex *salibus neutris*; maximè,

maximè, si in stomachum assumantur, dum, inter generationem, effervescunt. Quòd si, ut interdum, *sales neutri* ad sedandum parùm possunt, decurrendum est ad medicamenta, ex iis quæ stimulant totum corpus, præcipuè opium.

CCLIII. *ALVI PROFLUVIUM*,—quippe cùm debilitatem augeat, neque levet dolorem capitis, si quis urget, sistendum est vel saltem temperandum, *catebucio*, opio, hisque, quòd ad virtutes, consimilibus.

CCLIV. *SINGULTUS NERVORUM, ET SINGULTUS SEPTI TRANSVERSI*,—pessimi plerumque morbi testimonia sunt, et, ad ultima ferè jam ventum esse, ostendunt. Interdum tamen cedunt opio, *ætheri sulphurico*, vel his conjunctis, et idoneâ copiâ datis; necnon *moscho*, et *spiritui ammoniæ fœtido*.

CCLV. *SUDOR COPIOSUS*—nonnunquam oritur, qui adèd non salutaris est, ut haud dubiè plurimùm

rimùm noceat. Namque humores dissipat ; vires digerit ; totumque hominem solvit atque languefacit. Hujusmodi sudor, quippe cùm ex laxitate et debilitate extremarum arteriarum oriatur, inhibendus est frigidulo aëre ; acidis, potissimùm *sulphurico* ; vino generoso ; et opio.

CCLVI. *SANGUINIS E NARIBUS PROFUSIONES*,—si quando, *typho* provecto, accidant, optimè sistuntur opplendo nares linteolis aceto imbutis, dein *sulphate aluminæ* in pulverem contrito involutis (x).

CCLVII. *CLUNES ULCERATI*.—Si *typhus* diu protrahatur, clunes, itemque aliæ partes, quibus æger maximè incumbit, haud rarò ulcerantur, atque, ob magnam totius corporis debilitatem, apta fiunt, quæ gangræna afficiat. Ne  
 . . . . . tanta

---

(x) Vid. CAMPBELL. *On Typhus*, p. 100.

tanta mala, tamque periculosa accidant, præcavendum est, applicando his partibus, quoties opus, HAENI linimentum, quod formatur *alcohol* et album ovi collidendo, donec in unitatem coiverint.

CCLVIII. *VIRIUM REFECTIO.*—Denique, ubi, discussâ febre, æger revalescit, atque incipit transire ad pristinam diætam, et consuetudinem vitæ; medici est considerare, quid ferre valeant vires, quid recusent, atque, his æstimatedis, præscribere, quam vivendi rationem sequeretur.

CCLIX. Ut brevi confirmetur convalescens, monendus est, ut initio gestatione utatur; deinde, ubi vires paululùm collegerit, ad alias exercitationes quotidianas, at leves, decurrat, quales corpus paululùm tantùm fatigent.

CCLX. Eodem consilio, somnus nimis neque longus neque brevis esse debet, quoniam utrâque pariter nimietate corpus debilitatur.

cclxi. Eundem, porrò, in finem, diætam nutrientem esse oportet, atque concoctu facilem. Vitanda autem est omnis esculentorum, pariter atque potulentorum, intemperantia; quippe quæ stomachum ad concoquendum invalidum reddat, et sic totum debilitet corpus.

cclxii. Quinetiam, calor, cui convalescens exponitur, mediocris inter nimium et parum esse debet: etenim magna vis caloris, æqualiter ac frigoris, hominum corpora infirmit.

cclxiii. Salubrem, præterea, aëra convalescens spirare debet; esse animo tranquillus; moderatus in cupiditatibus; sensus lætis imaginibus permulcere; sociis hilaribus uti; cum facietis frequenter in convicctu esse; peramœna loca, ubi lapsus fluminum, concentus avium, fructuum dulcedo odorisque suavitas, ridentia prata, lætæque segetes, voluptate sensus perfundant pariter atque animum,



mum, peragrare; rarus VENERIS et BACCHI esse cultor et infrequens; et, ne longum faciam, cavere, ne pestilentia loca accedat, et morbidâ vi tabi denuo impleatur.

FINIS.

inum, petrarum; istam Veneream et Bacchi  
esse cultor et infidelis; et, de longum in-  
ciam, cavere, de pestilentia loca nocet, et  
morbidâ vi tibi deo implentur.

DISPUTATIO MEDICA

DE MORBIS

YINIS

DE

DISPUTATIO MEDICA

DE

HYDRAEMIA

CAUSIS ET CURA

AVCTORE

---

---

DISPUTATIO MEDICA

DE

HYDRAEMIA

CAUSIS ET CURA

AVCTORE

---

---